# DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
# PACTORUM SUCCESSORIORUM
PRÆCIPUE
# FAMILIARUM ILLUSTRIUM
Conſtanti in Germania valore in ſpeciali caſu
Judiciali Decreto adhucdum definiendo, illuſtrato.

*QUAM*

SUBJUNCTIS EX UNIVERSO JURE COROLLARIIS
# AUSPICE DEO TER OPT. MAX.
ANNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO,
IN ALMA JULIO-DUCALI HERBIPOLENSIUM UNIVERSITATE
PRÆSIDE
*PRÆNOBILI, CLARISSIMO & CONSULTISSIMO VIRO,*
*AC DOMINO*
## D. JOANNE PETRO BANNIZA,
U. J. D. Rev. & Celſ. S. R. I. Principis, Epiſcopi Herbip.
Franciæ Orientalis Ducis, Aulæ & Regiminis Conſiliario Actuali
Ejusdémque in præfata Univerſitate Inſtitutionum Imperialium, nec non
Praxeos Criminalis Profeſſore Publico & Ordinario,
*Tribus rigoroſiſſimis examinibus feliciter exantlatis,*
PRO SUPREMA DOCTORATUS IN UTROQ. JURE LAUREA
*Publicæ diſquiſitióni ſubjicit*
## JOANN. NICOLAUS FERDINANDUS CROCIUS
Luxemburgenſis Belga, Jurium Candidatus Emeritus, Illuſtriſſimi ac
Excellentiſſimi S. R. I. Comitis de METTERNICH Winneburg, Beylſtein Conſiliarius,
AUTHOR & RESPONDENS.
IN ACROATERIO JURIDICO
*Horis ante & poſt meridiem conſuetis die* *Anno* 1748.

---

*Wirceburgi*, Typis Joannis Jacobi Chriſtophori Kleyer, Univ. Typ.

# DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
# PACTORUM SUCCESSORIORUM
PRÆCIPUE
# FAMILIARUM ILLUSTRIUM
Conſtanti in Germania valore in ſpeciali caſu
Judiciali Decreto adhucdum definiendo, illuſtrato.

*QUAM*

SUBJUNCTIS EX UNIVERSO JURE COROLLARIIS
# AUSPICE DEO TER OPT. MAX.
ANNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO,
IN ALMA JULIO-DUCALI HERBIPOLENSIUM UNIVERSITATE
PRÆSIDE
*PRÆNOBILI, CLARISSIMO & CONSULTISSIMO VIRO,*
*AC DOMINO*
## D. JOANNE PETRO BANNIZA,
U. J. D. Rev. & Celſ. S. R. I. Principis, Epiſcopi Herbip.
Franciæ Orientalis Ducis, Aulæ & Regiminis Conſiliario Actuali
Ejusdémque in præfata Univerſitate Inſtitutionum Imperialium, nec non
Praxeos Criminalis Profeſſore Publico & Ordinario,
*Tribus rigoroſiſſimis examinibus feliciter exantlatis,*
PRO SUPREMA DOCTORATUS IN UTROQ. JURE LAUREA
*Publicæ diſquiſitioni ſubjicit*
## JOANN. NICOLAUS FERDINANDUS CROCIUS
Luxemburgenſis Belga, Jurium Candidatus Emeritus, Illuſtriſſimi ac
Excellentiſſimi S. R. I. Comitis de METTERNICH Winneburg, Beylſtein Conſiliarius,
AUTHOR & RESPONDENS.
IN ACROATERIO JURIDICO
*Horis ante & poſt meridiem conſuetis die* *Anno* 1748.

*Wirceburgi*, Typis Joannis Jacobi Chriſtophori Kleyer, Univ. Typ.

# ДУХОВНИЦА ВЕЛИКОГ ВРЕМЕНА

# ИЛИ ПОУКЕ И МОЛИТВЕ ЗА ВРЕМЕ ПОСТА

# И ВЕЛИКОГ ПОСТА

ILLUSTRISSIMO
ET
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
D. RUDOLPHO
ERWINO
FRANCISCO,
S. R. I. COMITI
DE SCHÖNBORN
BUCHHEIM, WOLFFSTHAL,
REICHELSPERG & WIESENTHEID,
Domino in Heiſſenſtamm, Gaybach, Hatterndorff,
Neuſes in Arvis, Arnfels, Waltenſtein, Dornegg, Schmirnberg,
Bommersfelden &c. Archi-Epiſcopatûs Moguntini ſupremo Pincernæ
hereditario,
AUREI VELLERIS EQUITI,
SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS
ACTUALI CONSILIARIO INTIMO
& CAMERARIO &c. &c.

*DOMINO DOMINO AC PATRONO SUO*
*GRATIOSISSIMO.*

# ILLUSTRISSIME
## ET
# EXCELLENTISSIME
# S. R. I. COMES,
# DOMINE AC PATRONE
# GRATIOSISSIME!

*Tametsi ab ipso, quod tractant tenues pagellæ hæ meæ, de initis Illustres inter Familias pactis, argumento splendoris hauriant multum, tamen cùm à rudi rerúmque forensium nondum satis gnaro Furium Candidati calamo pro rei dignitate elaboratæ minùs*

*minùs ſint, in publicum, ac in ſæculi hujus literis cultiſſimi conſpectum horrerent prodire: TUUM proinde ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIMEQUE S. R. IMPERII COMES! exoptant ſibi ambiúntque, tacitis pridem, publicis hodie votis PATROCINIUM, cùm quòd Authorem TUA invitet facilitas ac decantatiſſima in literas propenſio: Tum etiam, quòd ipſa hæc pacta in ILLUSTRISSIMA TUA FAMILIA magnam partem nôrint ſe vigere: Tum demum, quòd TUA ab uberrimâ gloriâ ad decus ſuum haud mediocrem fore acceſſionem confidant. Duplicem eam in TE conſpicio, propriam videlicet, & communem ſortéque hæreditatis acceptam. Hæc quidem tàm felicibus cumulata inclareſcit incrementis, ùt, quidquid glorioſum compellare volunt multi, id continuò, conſentientibus ſuffragiis, SCHÖNBORNIANUM nuncupare ſoleant. Præviis quippe*

*ſummorum Imperatorum teſtimoniis exemplís-*
*que incitantur, qui munificentiſſimâ manu am-*
*pliſſima in Familiam hanc congeſsêre beneficia,*
*ad remunerandam ejus in conſiliis fidem, ad*
*præmiandam fortitudinem, ad exornandam in*
*legationibus dexteritatem mirificámque ſapien-*
*tiam: Quàm glorioſæ ſunt, quas illi impertiê-*
*runt, prærogativæ, quàm magnifica, quæ ad-*
*miniſtranda dedêre munia, quàm inſignia,*
*quàm opima, quæ diſtribuêre feuda, quàm ex-*
*cellentia, quàm ſingularia, quibus eam dilaudâ-*
*runt, encomia? Neque uniùs modò regionis an-*
*guſtiis incluſa coërcetur hac gloria, pervagata*
*eſt orbem univerſum, omniáque penetravit re-*
*gna ac provincias, omnium propè Regum Prin-*
*cipúmque exterorum ſummis teſtimoniis depræ-*
*dicata, atque adeò ab ipsâ Sede Pontificiâ va-*
*riis iísque haud vulgaribus celebrata fuerat*
*præconiis, iis condecorata dignitatibus, quas*

*Regiis*

*Regiis etiam orti natalibus ſummopere expetendas ducunt. In ipſo verò Imperio quàm celebris, quàm præſtans, quàm latè diffuſa eſt? Mitto, quæ lapſis retro temporibus floruerunt* SCHÖNBORNIANA *decora, ſæculum, quod jam agitur, duntaxat commemoro, quod, etſi ne medio quidem curſu confectum adhuc ſit, jam tamen omnino quinque è* SCHÖNBORNIANA *Familia Comites ad altiſſima Electorum, Ducum, Principúmque ſubſellia evectos ſuſpiciebat. Teſtis Moſella, Teſtis Rhenus, Teſtis cùm Rhegniſia Mænus, qui omnes uno eodémque tempore* SCHÖNBORNOS *ſuî Moderatores plaudente fluctu venerabundi adorârunt. Nimirum purpura Cardinalitia, pilei Electorales, galeri Ducales, Epiſcopales Infulæ, primorum Eccleſiæ Præſulum Vittæ, Vellus aureum, Ordinum Equeſtrium inſignia, Virgæ Imperatoriæ, cæteræque ſummorum in Imperio bonorum*

*rum ornamenta* SCHÖNBORNIANAM *hanc gloriam abundè teſtantur & comprobant. Hæcque omnia Illuſtriſſimo illi Fratrum ſeptemviratui obtigiſſe, recentius etiammum eſt in Germaniæ oculis, quàm ut multâ prædicatione indigeat. In quo ſeptem maſculorum auſpicatiſſimo partu felicitatem alteram jure* SCHÖNBORNIANAM *Familiam compellavero, quæ ſeptem ſoboles maſculas non quidem ad Martyrii palmas, ſed ad capeſſendas laureas & memorata modo inſignia orbi enixa eſt. Paucis ut complectar, omnia* SCHÖNBORNIORUM *recenſere decora non parvæ dedicationis, ſed vaſtorum opus arduum faſtorum eſſet. Quin optatiſſimum ea ſcopum attigit, inoffenſo ulteriùs curſu provolatura, adeò, ut* FRIDERICUS CAROLUS *Proſapiæ Tuæ gloria, ſapientiæ humanæ prodigium Herculeum illud:* Nonplus ultra: *moriturus ſuo in teſtamento præfigendum duxe-*

*duxerit: Quâ vel unicâ conſtitutione prudentiæ ſuæ plusquàm humanæ argumentum dedit, ita ut illuſtriſſimo illi ſiderum Principi Soli haud abſimilis mihi viſus fuerit, qui ſemper apparet Major in occaſu.*

*En brevem gloriæ SCHÖNBORNIANÆ epitomen, imò verò TUÆ: Si enim propria hæc Famìliæ TUÆdos eſt ac peculiaris, ut, quotquot enititur Heroës, ad unum omnes perpetrent ea, quæ laudis plurimum ac inſignem gloriæ ſignificationem habent; TU quoque ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIMEQUE S.R.I. COMES! ea domi forísque egiſti, quibus non poteſt non nominis TUI ſplendor plurimùm inclareſcere. Documenta dediſti luculenta in variis ac implicatis maximè legationibus, quarum nodum Gordium penetrantiſſima acies ingenii TUI haud difficulter diſſolvit, Imperii Aquilæ proinde primarii, quod habent, con-*



*ſilii*

*ſilii membrum* TE *eſſe voluêre: Atque adeo explicârunt ſuper* TE *alas ſuas,* TUAM *coronârunt Sapientiam, eminentiis, inſigniis & prærogativis cumulârunt. Atque hæc ferè, plurimáque ejus generis ſunt, quæ fecêre, ut attentarem auſpicatiſſimum Nomen* TUUM *hiſce Theſibus præfigere, cujus ſplendore & ipſæ nonnihil illuſtrarentur: Imò verò nolentem traxit incredibilis illa* TUA *erga quoscunque comitas, dubium ſuſtulit notiſſimus ille* TUUS *in literas amor, quas & IPSE coluiſti ſedulò, & jam foves impensè amantiſſimus Literarum Mæcenas: In* TE, *cùm ſuum haud ita pridem Muſis Apollinem,* FRIDERICUM CAROLUM, *inquam, rapuêre acerba fata, cujus ſumma ſunt in rempublicam literariam merita, cui tacitis etiammum lacrymis parentant Boni omnes, qui ſibi exegit monimentum ære perennius, qui: paucis multa dicam: literatorum*

*confu-*

*confugium erat: quâ in re, ſi cætera deſint omnia, ſtatuendum facilè, quis quantúsque fuerit, propterea, quòd in literas amor gnome illa ſit, ad quam Principem Magnum metiri & æſtimare ſolemus: Cùm, inquam, hunc nobis rapuêre acerba fata, alterum in Te reperimus ſuperſtitem, ab eodem in literas favore commendatiſſimum. Quod cùm experti ſunt multi; Tum & ego teſtimonii hujus non minima pars ſum, cujus gratioſiſſimus & es & eris promotor, qui tot tantísque obſtrictus TIBI ſum nominibus, ut, cùm majora agere penes meam tenuitatem non ſit, in aliquale gratitudinis monimentum ad pedes TUOS has cogitârim paginas ſubjicere: Indignum eſt, fateor, altitudine TUA opuſculum, at TUA, quæ ad infima quæque laudabiliſſimè ſe demittit, facilitas clementi id oculo dignabitur: Quod, cùm TUA humanitas ſperare me jubet, quidquid ſcientiæ com-*

*comparavero, id omne ſi & TIBI & Tuorum ſervitiis conſecrare mihi licuerit, ſummos optatiſſimósque cenſebo meis è laboribus fructus me percepiſſe: qui perenno*

# ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI S. R. I. COMITIS ET PATRONI GRATIOSISSIMI

*Servorum Infimus*

JOAN. NICOL. FERDIN. CROCIUS,
Luxemburgenſis Belga.

# DISSERTATIONIS INAUGURALIS PARS GENERALIS DE NATURA, INDOLE, DEFINITIONE, DIVISIONE, ORIGINE, PROGRESSU & CONSTANTI PACTORUM SUCCESSORIORUM IN GERMANIA, PRÆCIPUE INTER FAMILIAS ILLUSTRES, VALIDITATE.

## §. I.

Quamquàm Legum Romanarum ut ut exoticarum authoritatem in foris Germanicis non merè ſubſidiariam, ſed pro regula & in vim juris communis obtinentem, & quâ talem *à Prænobili Clariſſimo & Conſul-*

Authoritatis LL. Romanarum in foris Germaniæ ratio.

*tissimo Viro ac Domino* D. JOANNE PETRO BANNIZA *Præside ac Promotore, omni honoris studio mihi in perpetuum colendo, in bina sua Dissert.* DE PRINCIPIO LAUTERBACHIANO: *qui nititur Lege Justinianea &c. per tot. editâ anno 1745.* pro more suo solidissimè vindicatam in dubium vocare, propositum haud habeam, attamen innumeras propemodùm controversias in Sacri Imperii tribunalibus occurrere, quarum decisio non ex præceptis Juris Romani, sed ex fontibus veterum germanicarum consuetudinum, recentiorum Imperii constitutionum obsérvantiarúmque haurienda est, nemo eorum, quibus causas judiciales tractare incumbit, temerè ibit inficias. *Conf. Clariss. D. Præsidis Diss. I. de Princ. Lauterbach. &c. §. 22. & Mantiss. ibid. subj. per tot.*

## §. II.

Juris, quod ex recepto obligat, indoles.

Scilicet: est ea juris, quod non ex primæva sua institutione, & vi potestatis, à qua

à qua promanat, ſed ex libera populi receptione ſolummodò obligat, connata indoles, ut in contractus, teſtamenta, aliáque tàm publica, quàm privata populi recipientis negotia eatenùs tantùm obligationis virtutem diffundat, iísque det formam, quatenus Reipublicæ ſtatui, genio & moribus ſubditorum congruum & ab iis, in quorum manibus eſt Legislatoria poteſtas, pro rerum, morum, temporúmque diverſitate determinatum, & vel certis limitationibus reſtrictum, vel ampliationibus eſt extenſum.

## §. III.

Nec ſanè alia Juris Juſtinianei in foris Germaniæ eſt habenda ratio: Etenim ſtrenua hæc & libertatis patriæ tenaciſſima Gens, repulſis ſæpè ferociter Romanorum irruptionibus, per multa ſæcula in autonomia ſua gloriata, & *Teſte Tacit. de mor. Germ. c. 19.* bonis moribus plùs, quàm aliæ Gentes bonis Legibus, indulgens, le- Applicatur juri Romano.

In Germania recepto,

leges Romanas, utpotè in plurimis ſuis capitibus æquitate naturali ſuffultas, in ſcholas & tribunalia ſua lentis paſſibus, & ita irrepere paſſa eſt, ut reſecatis veterum JCtorum Romanorum ſcrupuloſis adinventionibuus, ſuperfluis verborum formulis eliminatis, & temperato in multis ſubtili rigore, juris communis authoritatem obtinuerint quidem, & ad illas, qua tale, provocaverit laudatiſſimus Imperator MAXIMILIANUS I. *in ord. Camer. de ann. 1500.* §. die *Succeſſion* in non paucis tamen caſibus, maximè ubi de Pactorum inviolanda fide agitur, antiquorum Germaniæ morum æquitas Romani juris dicteriis ſemper prævaluerit, & de cœtero pro rerum, circumſtantiarum temporúmque viciſſitudine alias aliásque conſtitutiones conſuetudinésque introducendi facultas genti Germanicæ in perpetuum permanſerit illibata. Quod, cùm neminem in jurisprudentiæ ſtudio non omnino hoſpitem lateat, & doctiſſimorum virorum ſcriptis abundè illuſtratum proſtet, ſi demonſtratum irem,

& Juris communis authoritatem nacto,

Salva tamen Germanis autonomiâ ſua.

non

non ſolùm à ſcopo meo longiſſimè aberrarem, ſed ſoli facem accendere conarer.

## §. IV.

Pacta ſucceſſoria ex inveterata Germaniæ conſuetudine æſtimanda.

Inter quàm plurima verò Capita, quorum definitio non ex Juris Romani lacunis, ſed antiquarum Germaniæ conſuetudinum æquitate, & conſtanti Gentis hujusce ſinceritatis ſtudio, quâ præ cæteris laudem ſemper meruit, petenda eſt, excellentiorem meritò ſibi locum vindicant Pacta de futura viventium ſucceſſione, qualia præcipuè inter familias Illuſtres iniri ſolita ſunt, & hodiernis adhucdum temporibus paſſim iniri, quotidianâ experientiâ edocemur. De quorum natura, indole, definitione, diviſione, origine, progreſſu, ac inconcuſſa ſemper in Germania validitate in prima ac generali hac Diſſertationis meæ Inauguralis Parte pro virium tenuitate & ingenii modulo pauca ediſſerere conſtitui, deinde in ſecunda & ſpeciali ad ſingularem caſum, jam à multis

Diſſertationis diſtributio & procedendi rario.

tis retro annis acriter disceptatum & adhuc judiciali Decreto terminandum me conversurus.

## §. V.

Præparatio ad definitionem.

Quemadmodum autem omnis, quæ ratione suscipitur de re aliqua institutio, à definitione proficisci debet, ut intelligatur quid sit, de quo disputatur *Cic. de offic.* ita ordine me facturum existimavi, si præsentem de pactis successoriis familiarum Illustrium in Germania tractationem ab eorum definitione inchoarem. Cæterùm non ambio quidem exactam & regulis Dialecticis, quod viris eruditissimis periculosum visum est *L. 202. ff. de Pr. J.* per omnia adaptatam hìc adornare definitionem, sed eam, quam ITTERUS *de feud. Imp. c. 17.* adfert, quæque rem ipsam satis explicare mihi videtur, paululùm tamen imminutam in aliquo, in altero verò magis ampliatam adoptare non puduit: Nimirum Pacta Successoria (intelligo familiarum Illustrium, de

de his enim tantùm ero ſolicitus) ſunt conventiones à duabus puribúsve familiis Illuſtribus, *vel ejusdem familiæ diverſis lineis* initæ, ad hoc, ut unâ familiâ, vel reſpectivè lineâ extinctâ, alteri territorium ſeu bona, *ſive allodialia*, ſive feudalia, aut pars eorum, certâ ſucceſſionis lege deferatur.

Definitio pactorum ſucceſſorio-num ab *Ittero* adoptata imminuta tamen in alíquo, ampliata in altero.

## §. VI.

Imminutam in aliquo, ampliorem verò in altero Ittero definitionem dedi, non quod Authorem admiſſi defectûs, vel immixtæ ſuperfluitatis arguere audeam, ſed quod Inſtituti ratio hoc expoſtulaverit: Loquitur enim Vir Clariſſimus de Pactis ſuper feudis Imperii in aliam prorſus familiam transferendis, initis, in quibus ex una parte confirmationem Cæſaream, de qua in ſua definitione meminit, requiri, ex altera verò parte neque allodialium, neque lineæ mentione opus fuiſſe, non inficior. Aſt alia mihi mens eſt; non enim ſolùm de feudis Imperii & de illis quidem in aliam

Imminutionis & ampliationis ratio.



pror-

prorſus familiam, ſed inſimul. etiam de bonis allodialibus vel ſolis, vel unà cum feudalibus, & non tantùm in aliam prorſus familiam, ſed proùt non rarò contingit, in aliam ejusdem familiæ lineam derivandis mihi hic locutio eſt: Unde, cum, quando vel de allodiis tantùm, vel etiam de feudis, aſt in aliam ſolùm ejusdem familiæ lineam, jus ſuccedendi à primo acquirente habentem transferendis in pactis ſucceſſoriis diſponitur, confirmatione Cæſareâ haud opus ſit, ùt in parte ſpeciali demonſtraturus ſum, eandem in definitione haud poſui, ne definitio non conveniret omni & ſoli definito: econtrà verò ex eadem ratione & allodiorum & alterius lineæ mentionem faciendam eſſe, ratus ſum, cùm non ſolùm de feudis in aliam familiam, ſed & de allodialibus vel ſolis, vel unà cum feudalibus in aliam tantùm ejusdem familiæ lineam maſculam derivandis, omnino & multò magis pacta Gentilitia contrahi poſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit.

§. VII.

## §. VII.

Definitionem excipiunt variæ Pactorum ſucceſſoriorum diviſiones, quarum prima eſt, quod alia ſint univerſalia, alia particularia. Univerſalia audiunt, quæ de univerſis paciſcentium bonis concepta ſunt, quale eſt Pactum Saxonico-Haſſiacum, *de quo paulò poſt.* Particularia verò dicuntur, quæ non ad omnia contrahentium bona diriguntur, ſed ad quædam tantùm, aut ad certum aliquem diſtrictum reſtringuntur: quo Jure cenſentur Pacta inter Saxoniæ Duces & Hennebergenſes Comites inita; ſiquidem ex parte ſaltem Saxonicæ familiæ non omnes ditiones comprehendiſſe, commonſtrat HAGEN *II. Inſt. Jur. publ. 6. n. 3.* Alias duas Pactorum ſucceſſoriorum diviſiones in æqualia & inæqualia, item in duplicia & ſimplicia vid. apud ITTERUM *cap. 17. §. 6.*

Pactorum Succeſſoriorum diviſio 1ma in univerſalia & particularia.

2da in æqualia & inæqualia,

3tia in duplicia & unilateralia.

## §. VIII.

Principalis verò eorundem pactorum diviſio eſt in acquiſitiva, conſervativa, renunciativa, & diſpoſitiva.

4ta in acquiſitiva, conſervativa, renunciativa, & diſpoſitiva.

Acquisitiva quid?

nunciativa & dispositiva. Pacta acquisitiva, (de quibus brevitatis studio tantùm loquar) sunt conventiones de ipsorum paciscentium, vel alterius tantùm, vel utriusque hereditate, vel sibi, vel aliis acquirenda. Et horum à Doctoribus rursum quatuor species constituuntur: scil. Pacta Conjugum Dotalia, Pacta Unionum prolium, Pacta Ganerbinatûs seu confœderationis & Pacta confraternitatis.

Pactorum acquisitivorum quatuor species.

## §. IX.

Pactorum Conjugum Dotalium definitio.

Primam ergo pactorum acquisitivorum speciem constituunt Pacta Conjugum Dotalia, quæ sunt conventiones inter conjuges non solùm de dote, donatione propter nuptias, & dotalitio, sed & de aliis rebus futuráque successione initæ, Jure Romano expressa sanctione *in L. 5. C. de pact. convent.* vetitæ, moribus verò Germaniæ firmæ ac validæ.

## §. X.

Divisio eorum in simplicia & mixta.

Súntque hæc pacta vel simplicia, vel mixta. Simplicia dicuntur, quæ dotem, dona-

donationem propter nuptias, Dotalitium, & quidquid in casum mortis alterutrius conjugis obtinere debeat, determinant, vel alia bona, etiam universa conjugi superstiti assignant, modò per verba contractûs vel donationis inter vivos concepta sint, dilato tamen tempore solutionis in diem mortis. Mixta sunt, quibus itidem de dote, donatione propter nuptias, dotalitio & futura conjugum inter se successione disponitur, adhibitis tamen verbis ultimis voluntatibus propriis, ideóque mixta appellantur, quod licèt revera conventiones sint, nihilominùs tamen supremæ voluntatis elogia & reciproca contineant Testamenta.

## §. XI.

Inter utraque notabile hoc versatur discrimen, quod simplicia, cum sint merissimi actus inter vivos, effectum executionis demum post mortem unius ex Conjugibus sortientes, nullam prorsus ad subsistentiam

Inter utraque differentia 1ma.

ſuam requirant ſolennitatem, niſi aliud fortè ſtatutum vel conſuetudo exigat, ſed duorum Teſtium fide, vel inſtrumento deſuper confecto probata firmiſſimè ſubſiſtant, mixta verò cum reciprocum conjugum teſtamentum contineant, ſolennitatibus ad teſtamentum ſolenne, vel Codicillum requiſitis inſtructa eſſe debeant.

## §. XII.

Differentiæ ada. Ex quibus quoad effectum & alia memorabilis fluit differentia, quod illa: ſcil. ſimplicia: unus conjugum, alterâ parte invitâ, temerè revocare, & pœnitentiâ ductus ab eo, quod ſemel placuit, recedere ampliùs nequeat, Regulâ illâ: quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt: ſicut in aliis inter vivos negotiis, ita & hìc plenum robur obtinente. Aliud verò Juris eſt circa mixta: hæc enim, cùm in ultimarum voluntatum cenſum referantur, ab uno conjugum mutatâ animi ſententiâ, alióque condito teſtamento, altero licet

ingrato, revocari, nil prohibet; ambulatoria enim eſt ultima voluntas usque ad ſupremum vitæ ſpiritum.

## §. XIII.

Secundam Pactorum acquiſitivorum ſpeciem abſolvunt Pacta Unionum prolium, quæ ſunt conventiones conſuetudini Germaniæ innixæ, quibus parentes ad ſecundas nuptias tranſeuntes coram Magiſtratu ordinario causâ cognitâ & interveniente Decretô conſenſúque propinquorum eorúmque, quorum intereſt, liberos diverſi matrimonii ſibi invicem ita conſociant & æquiparant, ut quoad futuram parentum ſucceſſionem pro natis ex eodem ultimo matrimonio habeantur. *De quib. prolixiùs diſcurrentem vide* COCCEJUM *in Diſp. de ſucceſ. anomala.*

Pactorum unionum prolium definitio.

## §. XIV.

Pacta unionum prolium excipiunt Pacta Ganerbinatûs, quod nomen Germani-

Definitio pactorum Ganerbinatus.

cum eſt compoſitum à *Gan*, quod ſine contractione effertur Gemein, & Erben, quod hac in materia Dominum denotat, ita, ut Caſtri Ganerbii nihil aliud ſint, quàm ejusdem arcis condomini (gemeine Burg-Herren) SCHWEDER *part. ſpecial. ſect. II. c. XVIII.* Sunt autem hæc Pacta conventiones inter nobiles & illuſtres familias certis Legibus initæ, ita, ut ſe ſuásque facultates contra vim & hoſtiles incurſiones mutuo auxilio defendant, & unâ familiâ extinctâ, ex reliqua ſuperſtites illi ſuccedant.

## §. XV.

Pactorum Ganerbinatûs origo.

Scilicet, cùm funeſtiſſimis illis temporibus, dum Jus Manuarium (das Fauſt-Recht) adhucdum vigeret, itinera eſſent latrociniis intuta atque infeſta, potentiores vi armísque ex poſſeſſionibus ſuis dejicerent debiliores, ſpoliaréntque, familiæ Nobiles, ut à Caſtris & poſſeſſionibus ſuis hoſtiles ejusmodi incurſiones arcerent, exterorum expilationes averterent, ſe, ſuáque

que contra prædonum latronúmque invaſiones defenderent, conventiones inire, vires conjungere, eásque unitas ingruentibus latrociniorum & deprædationum tempeſtatibus opponere, neceſſe duxerunt. Et quamquam Pacta hæc mutuæ defenſionis gratiâ ſolummodò iniri ab initio ſolita fuerint, ad reciprocam tamen ſucceſſionem ex poſt vel ideo extenſa ſunt, ut familiæ Illuſtres eô firmiore vinculo ſibi invicem devincirentur.

Hodie rariora eorundem exempla.

Verúm cùm publicatâ ſub Maximiliano Imperatore Pace publicâ, Bella privata ſeverâ ſanctione prohibita ſint, rariora ſanè hujusmodi Pactorum ſuper mutua defenſione initorum exempla tempora recentiora nobis perhibent.

## §. XVI.

Pactorum confraternitatis definitio.

Magis autem in uſu ſunt Pacta confraternitatis, quarta pactorum acquiſitivorum ſpecies, quæ ſunt conventiones inter Principes & illuſtres perſonas initæ, ut he-

redi-

redibus maſculis unius familiæ vel lineæ deficientibus, in altera familia vel linea paciſcente ſuperſtites maſculi in bona & territoria extinctæ ſuccedant. Aſt cùm de his in parte ſpeciali continuus ſermo occurrat, illuc B. L. remitto, & ad inveſtigandam Pactorum de futura ſucceſſione originem & conſtantem in Germania valorem feſtino.

## §. XVII.

Pactorum de Jure Romano ineffi-cacia.

Equidem haud ignoro, tàm, tenaciter verborum conceptionibus inhæſiſſe Leges Romanas, ut, quamquam perfidiam haud probarent, aut impium non crederent eum, qui fidem non liberaret SENECA *de benef. V. 21.* attamen non omnibus conventionibus, ùtùt deliberatô animô initis efficaciter aſſiſterent, ſed negotiorum fidem in contractibus ſancientes GELL. *XX. 1.* perluſoriè eum egiſſe judicarent, qui modum fidem adſtringendi legitimum (puta ſtipulationem) neglexiſſet. HEINECC. *D. de pact. & ab eo cit.* MERILL. *obſ. VII. 39.*

§. XVIII.

## §. XVIII.

Eorundem alia apud Germanos habita ratio.

Verùm alia apud Germanos Pactorum fuit habita ratio, qui fidem conventione quacunque deliberatâ interpoſitam tàm ſanctè cuſtodiendam eſſe exiſtimârunt ſemper, ut *teſte* TACIT. *de mor. German. c. 24.* & in alea datam violaſſe, quondam religio eſſet: imo ſi quis poſtremo jactu libertatem amitteret, victus victori ſine detrectatione ſerviret, ídque pro fide laudaretur. TACIT. *eod.* Unde ſub Germana fide quidquam promiſiſſe, infallibilis obligationis indicium erat.

## §. XIX.

Pactorum ſucceſſoriorum apud Romanos dira execratio.

Quemadmodum autem Jus Romanum non omnibus conventionibus vim actionis productoriam attribuit, ita ſpecialiter pacta de futura viventis ſucceſſione diriſſimè execratur, eo quod propter votum captandæ mortis, quod continere illis dicuntur, contra bonos mores concepta & plena triſtiſſimi periculosíque eventûs eſſe cenſeantur. *L. ult. C. de pact.*

## §. XX.

Romanorum in insidiando pravitas.

Igitur cauſa, quæ Romanos ad pactorum ſucceſſoriorum prohibitionem impulit, fuit periculoſa cunctatio de captanda morte alterius. Scilicet praviſſima erat hac in parte morum apud eos corruptio, ſummáque improbitas, ut illi, cui ſe ſucceſſuros, certò ſciebant, non ſolùm mortem optarent, ſed & ferrô, venenô aliísque artibus acerbiſſimam hereditatis capiendæ ſpem ſuam promoverent, & non extranei tantùm, ſed fratres fratribus, liberi parentibus, &, quod tygridis immanitatem longiſſimè ſuperare videtur, parentes liberis ſuis ob hanc cauſam inſidias ſtruere compertum eſſet. De Matribus id teſtatur JUVENALIS *in Satyra VI.* hiſce Verſibus:

*Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior res eſt,*
*Cuſtodite animas, & nulli credite menſæ,*
*Livida materno fervent adipata veneno.*

*Mor-*

*Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit illa,*
*Quæ peperit, tumidus præguſtet pocula papas.*
*Nos utinam vani. Sed clamat Pontia: feci,*
*Confiteor, puerisque meis aconita paravi,*
*Quæ deprenſa patent, facinus tamen ipſa peregi.*
*Tune duos unâ, ſævissima vipera, mensâ,*
*Tune duos? Septem, ſi ſeptem fortè fuiſſent.*

## §. XXI.

Romani in coercenda Gentis avaræ cupiditate provida.

Quid ergo mirum, quod providiſſimi Legumlatores omnem operam impenderint, ut avariſſimæ hujus Gentis cupiditati fræna ponerent, & omnem alterius bona ſperandi occaſionem, quantum poſſibile eſſet, è medio tollerent, & ea propter neminem ſeſe teſtandi licentiâ privare poſſe, ſaluberrimè pro ſtatu ſuo conſtituerent.

## §. XXII.

Solicitudo Legislatoria in prohibendis etiam iis, quæ naturâ suâ mala non sunt.

Id enim solicitudinis legislatoriæ non ultimum caput est, ut non solum, quæ Reip. bono directò profutura sunt, solerter procuret, & sectanda præcipiat, ea verò, quæ naturâ suâ ad detrimentum communis salutis comparata sunt, severè prohibeat, sed & ea, quæ, licet in se mali nil contineant - occasionem tamen vel remotè tantùm parant ad perniciem, maximè si frequentia accedat, pœnalibus sanctionibus inhibeant, contra verò ea, quæ quidem in se mala sunt, majoris incommodi in Rempublicam illapsuri, amoliendi gratiâ prudenti sæpè consilio impunita relinquat. Utriúsque, si otium esset, numerosa exempla ex fœcundo Legum Romanarum sinu in medium proferre, haud foret difficile.

## §. XXIII.

Insidiarum periculum ex pactis successoriis

Verùm, numne etiam apud Germanos tantum insidiarum periculum ex pactis

ſucceſſoriis perhibent Hiſtoriographi? Ne- haud me-
quaquam; ſinceræ enim amicitiæ ſemper tuendum
amantiſſima legitur hæc natio, à fide, quam apudGerma-
conſtantiſſimè ſervabat, omnibus laudata, nos.
ut ea propter nec ratio expetierit, harum
conventionum uſum è Republica tollere,
nec id unquam factum eſſe, ullo argumen-
to commonſtrari queat.

## §. XXIV.

Contrarium potius pollucet ex anti- Germani
quiſſimis Germanorum Legibus, quæ pa- olim pactis
ctis, ſubſecuta traditione ſymbolica firma- & traditione
tis, bona poſt mortem in alium transferri ſymbolica
volebant, Teſtamentorum uſu vel planè in- bona trans-
cognitô, vel, quod verius eſt, penitùs re- ferebant.
probato. Etenim teſte TACITO *de mor.*
*German. c. 20. Heredes ſucceſſorésque ſui cui-*
*que liberi, & nullum teſtamentum.*

## §. XXV.

Et quamquam STRYCKIUS *in ſuo tractat.* Interpreta-
*de ſucceſs. ab inteſt. diſſ. 8. c. 1. §. 2.* citatum tio Stryckii
ad verba Ta-
citi.

Taciti locum ita interpretetur, ut exſtantibus liberis & cognatis uſum teſtamentorum Germanis haud competiiſſe largiatur, his verò non exiſtentibus, teſtamentariâ diſpoſitione bona in alios transferendi facultatem ipſis integram fuiſſe, aſſerat in verbis: " Loquitur Tacitus tantum de illa
" ſpecie, ubi liberi & cognati exſtiterunt,
" de qua certiſſimum eſt, ſolâ inteſtati ſuc-
" ceſſione obſervatâ, uſum teſtamenti tunc
" exulaſſe: idem verò etiam eo caſu ob-
" tinuiſſe, cùm quis nullis planè liberis,
" quàm cognatis relictis deceſſerit, ver-
" bis iſtis non confeceris. Imo contra
" maximè puto. Nam quis credat, eos
" ſolos à communi Gentium uſu adeò
" receſſiſſe, támque barbarè ſtupidos fuiſ-
" ſe, ut nunquam in univerſum ultimâ vo-
" luntate bona ſua ad alios transmiſerint,
" ſed tunc etiam, cum nullus omnino co-
" gnatus, ad quem ſanguinis Jure devol-
" verentur, ipſis ſupereſſet, inteſtati ta-
" men deceſſerint, adeóque bona abs ſe
" parta perire magis voluerint, quàm ut



" in

„ in extraneum, nullo cognationis vinculo
„ ſibi junctum ea transferrent, cùm tamen
„ amicitia in illa gente religioſiſſimè culta
„ fuerit, quæ potiùs amicorum in relin-
„ quendis bonis rationem habere perſua-
„ ſit. „

## §. XXVI.

Verumtamen non eâ, quâ Romani, in ordinandis ultimis voluntatibus ratione & ſolennitatibus utebantur Germani, ſed potiùs per pacta ſuprema ſua elogia concipiebant, quod prælaudatus STRYCKIUS *cit. loc.* diſtinctè innuit, dum ulteriùs pergit: „Ne-
„que tamen inde affirmaverim, quaſi eâ,
„quam Romani adhibuere, ſollennitate te-
„ſtamentum juſtum condiderint, ſed quod
„in caſu non exſtantium liberorum, de bo-
„nis ſuis modo ſaltem minùs ſolenni diſpo-
„ſuerint, nudâ ſcil. conventione & ſimpli-
„ci traditione, retento tamen uſufructu
„ad dies vitæ, teſtamenti vice interpoſitâ,
„voluntatem ſuam quoquo modo expri-
„mentes. „

Pergit ulterius Stryckius.

En,

Testamentorum loco pacta apud Germanos obtinebant.

En, Testamenta quidem Germanis in usu haud fuisse, sed eorum vice per conventiones & simplices traditiones bona in alios per universitatem translata fuisse, perspicuè affirmat Vir Celeberrimus. Et cum essent populi fide omnes alios antecellentes, & ab omni astutia & calliditate longè remotissimi viverent, sufficiebat ipsis, mudâ traditione & factâ de bonis post mortem consequendis conventione, ultimam suam voluntatem declarasse. STRYCK. *cit.* §. *4.* JOANN. GEORG. WERNER *de pact. dotal. sub form.* Hut bey Schleyer und Schleyer bey Hut.

## §. XXVII.

Modus ejusmodi pacta perficiendi.

Perficiebantur autem ejusmodi conventiones, in quibus de bonis post mortem per universitatem transferendis agebatur, per traditionem simbolicam, veluti per jactum festucæ in sinum alicujus, similiáve signa, de quibus *vid.* BOEHMER *Jus Eccles. Tom. 2. tit. de Inst.* §. *6. seqq.* SCHANNAT. *in corp. Tradit. fuldens.*

§. XXVIII.

# §. XXVIII.

Elegans argumentum talium conventionum de futura ſucceſſione exhibent LL. SALICÆ *tit. 29.* ex Edit. ECCARDI *pag. 91. ſeqq.* Rubrica eſt: *de Adframire vel adrhamire, de ramo dicto* ſive, ùt ECCARDUS notat. *de deſignatione heredis per ramum, vel feſtucam in ſinum alicujus projectam.* Pleniùs rem illuſtrat cit. ECCARDUS *ad tit. 40.* Verba autem Legis SALICÆ ſunt ſequentia: „Hæc „convenit obſervare, ut Tunginus (*Decanus*) aut Centenarius mallum indicent, „& ſcutum in ipſo mallo habere debet, & „poſtea tres homines tres cauſas demandare (*poſtulare*) debent: Poſtea in ipſo „mallo requirant hominem, qui ei non „pertinet, & ſic feſtuca in laiſum (*ſinum*) „jactet, & ipſe (*ipſi*) in cujus laiſam feſtu„cam jactaverit, dicat verbum de fortu„na ſua, quantum ei voluerit dare, aut ſi „totam, aut ſi mediam fortunam ſuam, „cui voluerit, dare. Poſtea ipſe, in „cujus laiſam fiſtucam jactavit, in caſa „ipſius

Eorundem argumentum ex LL. Salicis.

„ipſius manere debet, & hoſpites tres ſuſci-
„pere & de facultate ſua, quantum ei da-
„tur, in poteſtate ſua habere debet, poſt-
„ea ipſi cui creditum eſt, omnia cum te-
„ſtibus collectis iſta agere debet, & ſic
„poſtea ante Regem, aut in mallo legiti-
„mo illi, cui fortunam ſuam deputârit,
„reddere debet, & accipiat fiſtucam in
„mallo ipſo. Et ipſum (*ipſi*) quem here-
„dem deputavit, ante XII. menſes, in
„laiſo ſuo jactet, & nec minus nec majus,
„niſi quantum ei creditum eſt, & ſi con-
„tra hoc aliquid dicere voluerit, tres te-
„ſtes habere debet, qui jurati dicant, quod
„ibi fuerint in mallo, quod Tunginus, aut
„Centenarius indixerunt. Et quomodo
„vidiſſent hominem illum, quod fortu-
„nam ſuam donavit in laiſo illius, quam
„jam elegerat fiſtucam jactare & dominare
„(*nominare*) debent, qui feſtucam in lai-
„ſam jactit, nec non & illum, quem he-
„redem appellavit. Similiter nominent
„alii teſtes jurati & dicant, quod in caſa
„illius, qui fortunam ſuam donavit illi, in

„cujus

„cujus laiſam fiſtucam jactavit, ibidem man-
„ſiſſet, & hoſpites tres vel amplius colle-
„giſſet, & paviſſet (*cibum præbuiſſet*) & ei
„ibidem gratias egiſſent, & in beudo ſuo
„(*menſa*) pultes manducaſſent, & teſtes
„collegiſſent, iſta omnia tres alii teſtes ju-
„rati dicere debent, quoniam in mallo le-
„gitimo & ante Regem illi, qui accepit in
„laiſam feſtucam, fortunam ſuam dona-
„vit, & ille acceperit in mallo, hoc eſt
„ante Theada vel Tunginum fortunam il-
„lam, qua heredem illum appellavit pub-
„licè coram omnibus hominibus fiſtucam
„in laiſam ipſe jactaſſet: & hæc omnia no-
„vem teſtes debent affirmare.„

## §. XXIX.

Sic itaque olim franci pacto ſolenni ſucceſſorem ſibi conſtituebant authoritate judiciali & traditione feſtucæ, Teſtibúsque intervenientibus, hócque modo Jus in re & irrevocabile acquirebat heres futurus, quod in ſuos quoque heredes transmittebat.

Franci pacto ſolenni ſucceſſorem ſibi conſtituebant.

## §. XXX.

Item ex LL. Ripuariis. Simile quid invenire quoque eſt in Legibus Ripuariis *tit. 48.* in verbis: „Si quis „procreationem filiorum vel filiarum non „habuerit, omnem facultatem ſuam in „præſentia ſive vir mulieri, ſeu cuicunque „libet de proximis vel extraneis adoptare „in hæreditatem, vel adfatimi (*adfatimire, „accipere in heredem*) per ſcripturarum ſe„riem ſeu traditionem, & teſtibus adhi„bitis, ſecundùm legem Ripuariam licen„tiam habent.„

## §. XXXII.

Ex formulis *Marculfi.* Ulterius antiquum Pactorum ſucceſſoriorum uſum demonſtrant formulæ MARCULFI à STRYCKIO *in cit tractat. de ſucceſſ. ab inteſt. differt. 8. Cap. I. §. 4.* relatæ. Nec

Ex LL. Anglorum & Werinorum. minùs ex Legibus Anglorum & Werinorum pacta ſucceſſoria confirmat LINDENBROG. *in Cod. LL. Antiq. pag. 485. tit. 13.* in verbis: „Libero homini liceat heredi-

„tatem

„tatem ſuam, cui voluerit, tradere.„ Quod itidem intelligendum de traditione feſtucaria, vel ſymbolica, olim in conventionibus hiſce uſitata.

## §. XXXII.

Ex quibus omnibus prono alveo fluit, pacta ſucceſſoria olim à Germanis in vicem teſtamentorum ſolennium, apud Romanos uſitatorum, fuiſſe adhibita, iiſque Majores noſtros bona per univerſitatem, ſeu ſucceſſionem, tanquam per ultimam voluntatem transmiſiſſe, ut itaque dubium nullum ſuperſit, conventiones haſce ex ſimplicitate Juris Gentium ortas, à Germanis multis retro ſæculis, & antequam Leges Romanæ in Germania recipe-rentur, celebratas & exercitas fuiſſe. *Vid.* STRUV. *ſyntagm. Jur. Civil. exercit. 2. Theſ. 35.*

Majores noſtri bona ſua per pacta tanquam per ultimam voluntatem transmiſerunt.

## §. XXXIII.

Verùm, quid circa pacta hujusmodi Juris obtinuit, poſtquam Romanorum ſci-

Pactorum ſucceſſoriorum ratio poſt introductum Jus Romanum.

ta in Germaniam noſtram invecta Juris communis authoritatem obtinuerunt, numne tunc ex peregrini Juris principiis in exilium relegata, & ex ſedibus antiquis exeſſe juſſa ſunt? nequaquam, eo ipſo enim tempore, quo leges hæ exoticæ Jure civitatis in ſcholis & foris patriæ noſtræ donari, & firmiorem pedem figere cœperunt, Pactorum ſucceſſoriorum uſum continuatum fuiſſe, vel unicum (ut cætera ſileam) Sereniſſimæ domûs Saxonicæ ex una, & Illuſtriſſimorum Landgraviorum Haſſiæ ex altera parte exemplum manifeſtè comprobat. Et licèt inter Doctores varios non ſatis conſtet, quo primùm anno celeberrimæ hæ Germaniæ familiæ convenerint, & de mutua ſucceſſione pactæ fuerint, dum nonnulli primam ejus originem ab Anno 1373. cum Besoldo *Lib. 1. de ſucceſſ. D. 13. n. 7.* & aliis repetunt, alii verò, qui certiora fundamenta in monumentis hiſtoricis ſibi reperiiſſe viſi ſunt, altiùs aſcendunt, & cum Waremundo ab Ehrenberg meditam. *pro fœder. L. 1. c. 2. n. 35.* primum

Quid in ipſa receptione LL. Romanarum.

Exemplum pacti Saxonici.

De cujus origine variæ opiniones.



hujus

hujus pacti exortum in annum ſæculi tertii decimi LXII. conjiciunt. Cuicunque tamen opinioni adſtipulari libuerit, manifeſtum erit, prædictam conventionem natales ſuos ad ea tempora, quibus per Germaniam Jus Romanum ſeſe maximè extendere cœpit, referre.

## §. XXXIV.

Quid circa illa ævo recentiore Juris?

Cæterùm, quod & ante Jus Romanum introductum, & ipſo receptionis ejusdem tempore & immediatè poſt eam circa pacta ſucceſſoria immemoriali obſervantiâ in Germania obtinuit, ut ſemper firmo & inconcuſſo conſtarent valore, id & recentiore ævo innumeris Illuſtriſſimarum familiarum exemplis roboratum perhibent Celeberrimorum Virorum Codices, adeò, ut vix unum amplius reperire ſit, qui Legum Romanarum veſtigiis ità pertinaciter inſiſtat, ut talium pactorum uſum exinde ſublatum fuiſſe, contendere audeat. Quapropter, quod omnium aſſenſum jam dudum

dum meruit, pluribus asserere supervacaneum duxi.

## §. XXXV.

Jus Romanum pacta successoria non in totum improbat.

Id tamen adhuc obiter notandum censui, etiam ipsum Jus Romanum pacta successoria non in totum improbare: sic etenim conventionem super hereditate tertii incerti initam validam esse, legimus *in L. 3. §. de illo off pro socio*... item super successione tertii etiam certi, saltem eatenus robore suo munitam perhibet *L. fin. vers. nisi fortè. C. de pact.* Quatenus tertius, de cujus successione agitur, consentit, & voluntatem suam ante obitum non mutat, ac tandem similia pacta militibus permittit *L. 19. C. de pact.*

## §. XXXVI.

Probatur ex antiquissimis Romanorum LL.

Imo si negotium penitiùs inspicere, & quod res est, dicere liceat, antiquissimas Romanorum Leges conventionalem illam successionem non tantùm non abhorruisse, sed

ſed, more, calatis Comitiis teſtandi, abrogato, & teſtamento per æs & libram introducto, hereditatem per conventionem translatam fuiſſe, ſolidè probatum dedit BYNCKERSH. *obſer. II. 2. p. 113.* relatus *ab* HEINECC. *Pand. qui teſtam. facere poſſint §. 2. in not.* Quid enim aliud nobis denotant ſolennes illi ritus, quibus adhibitis in præſentia quinque teſtium Civium Romanorum, Libripende & Anteſtato, hereditas per mancipationem, id eſt, imaginariam venditionem transferebatur, quàm ſolennem quandam conventionem inter teſtatorem & familiæ emptorem contractam, vigore cujus hic, ſc. familiæ emptor, quocum principalis cauſa agebatur, magis ex pacto & contractu, quàm Jure Teſtamenti, mortuo teſtatore, bona hereditaria in ipſum heredem transmittebat. Si itaque, inquit VIGIL. *in §. acceſſit deinde. Inſt. de teſtam. ord.* olim lege licebat hereditatem per pactum in alium transferre, cur non idem poſſit conſuetudo? maximè cum teſtamenti factio, ùt à Civibus Romanis uſurpatur, ſit Juris Civilis.

Item ex ſolenni ritu mancipationis per æs & libram.

## §. XXXVIII.

Vanus captandæ mortis metus.

Incaſsùm ergo laborat, qui vano captandæ mortis metu ſubnixus pacta ſucceſſoria, quibus tanquam fulcris familiæ illuſtres, quæ bonis in infinitum ferè diviſis, miſerè tandem corruerent, tanquam bonis moribus contraria, & plena triſtiſſimi periculosíque eventus improbare, & è Germaniæ Provinciis, in quibus per tot retro ſæcula, Jure Romano quoad hunc paſſum vel nunquam recepto, vel ad minimum contrariâ obſervantiâ iterum abrogato, civitatis jure gaudebant in exilium relegare vellet.

## §. XXXIX.

Præcipuè in perſonis illuſtribus.

Et quidem Principes & perſonas illuſtres quod attinet, cum in iis rectitudo clariore lumine præfulgeat, & mortis captandæ formidinem ſuſpicari, indignum videatur, à pactis mutuò ſucceſſoriis temerario auſu arcendi, nulla prorſus ſeſe offert ratio, cùm & ignobiles (de Nobilibus

bus enim mediatis & Landſaſſiis nullum mihi ſupereſt dubium) à facultate, ſimiles conventiones erigendi, planè excludi non poſſe, ſatis commenſtrent quotidiana exempla unionum prolium, pactorum dotalium &c. quibus de futura viventium ſucceſſione conveniri, in lucem notum eſt, de quibus tamen, ut anxius ſim inſtituti ratio haud expoſtulat.

Habes B. L. definitionem, diviſionem, originem, progreſſum & conſtantem in Germania Pactorum ſucceſſoriorum validitatem nunquam interruptâ in nos quaſi traditione à Majoribus noſtris usque huc transplantatam. Supereſt, ut eam in ſpeciali caſu vindicatam placido judicio tuo ſubmittam, cujus diſcuſſioni deſerviat.

)o(

# DISSERTATIONIS PARS SPECIALIS,

## In qua pacti Gentilitii inter duos Illustrissimos Dominos fratres ex providentia & respectivè testamentaria lege initi valor rationibus pro & contra deductis sistitur, pro cujus pleniore & faciliore intellectu præmittitur

## SUCCINCTA FACTI SPECIES.

Reverendissimus ac Celsissimus Dominus Philippus S. R. I. Princeps Elector, Ecclesiæ Metropolitanæ N. Archi-Episcopus Anno 1621. testamentariâ suâ dispositione, omnibus solennitatibus & requisitis absolutâ, Domini fratris sui Ludovici L. Bar. de N. prædefuncti ambos filios, nempe Dominum Carolum & Dominum Ferdinandum LL. BB. de N. hæredes instituit, eósque sibi invicem taliter substituit, ut, ad conservandum magísque provehendum perillustris familiæ splendorem, unius lineâ sine descendentibus masculis extinctâ, alterius linea masculina,

lina, excluſis fœminis, ſuccederet. In cujus teſtamenti conformitatem, mortuô ex poſt Celſiſſimo Domino Teſtatore, ambo heredes inſtituti hereditatem ſibi delatam, nullo prorſus remorante impedimento, adierunt.

Anno 1637. Reverendiſſimus Dominus Fortunatus L. B. de N. Archi Eccleſiæ N. Præpoſitus, prælaudatorum à Celſiſſimo Archi-Præſule Patruo ſuo inſtitutorum heredum Frater, ex eodem fine ambos ſuos Dominos fratres Carolum & Ferdinandum in teſtamento ſuo, itidem nullo defectu laborante, cum eadem ſubſtitutione in caſum deficientis lineæ maſculæ inſtituit, iísque inſuper injungit, ut ambo fratres, heredes ſcripti, pro majore ſtemmatis maſculini conſervationis firmitate, pactum mutuò ſucceſſorium (eine Stammens-Vereinigung) inirent. Domino Teſtatore è vivis ſublato, ſupremæ ejusdem voluntati obſequium præſtituri ambo hæredes, aditâ fraternâ hereditate, Anno 1644. injunctum ſibi in teſtamento fratris pactum mu-

tuò ſucceſſorium conficiunt, ſtipulantúrque invicem, ut deficiente ſtemmate maſculo ex una parte, alterius linea maſculina ſuccedat, filiæ verò certâ quotâ ſibi legitimæ loco aſſignandâ contentæ à reliqua hereditate excludantur, hac tamen expreſsè adjectâ clauſulâ, ut, cùm virorum Doctorum & prudentum, quorum conſilium in gravi hocce negotio adhiberent, copiâ pro tempore deſtituantur, pactum quidem interim ſuo conſtet valore & inviolabili firmitate, aſt tamen ubi occaſio ſeſe obtulerit, ex prudentum conſilio ſeriò reaſſumatur & Imperatoriâ interim humillimè rogandâ confirmatione roboretur.

Anno 1646. Carolus L. B. de N. filiam ſuam Cæciliam in nuptias elocat Rudolpho L. B. de N. quæ in pactis dotalibus conſenſu patris, at inſciis deſcendentibus maſculis ex linea Ferdinandea adhucdum ſuperſtitibus, ſucceſſioni quidem renunciat, regreſſum tamen ad eandem, in caſum, ſi fratres ſuperſtites absque heredi-

bus

bus maſculis ex hâc vitâ migrare fortè contigerit, ſibi expreſsè reſervato.

Ex pòſt, ſcilicet Anno 1653. Dominus Carolus L. B. de N. teſtamentariam ordinat diſpoſitionem & unicum ſuum Sæcularis ſtatûs filium Dominum Claudium univerſalem inſtituit heredem, eíque in caſum deficientium deſcentium maſculorum in omnibus immobilibus ſubſtituit fratris ſui Ferdinandi filios, eâ tamen lege, ut compactatorum Anno 1644. erectorum Leges ſeſe non transgreſſuros eſſe, reiteratò ſponderent, Alberto, verò filio ſuo natu majori in ſacris ordinibus conſtituto certum annuum reditum, unà cum ſumptibus pro obtinendis præbendis ſecundùm ſtatuta & conſuetudines Eccleſiarum Cathedralium expenſis, & duabus junioribus filiabus (quæ ambæ poſt mortem matris monaſterium ingreſſæ tàm paternis & maternis, quàm fratrum ſororúmque bonis ſimpliciter & purè renunciârunt) Monaſterio ſolutas pecunias ſtatutarias (Statuten-Gelder) & tandem Cæciliæ ſeniori Rudolpho

dolpho L. B. de N. nuptæ, quod ipſi in pactis dotalibus aſſignatum erat, titulo honorabili inſtitutionis, loco Legitimæ relinquit.

Ultimô hôcce Teſtatore, Dominô Carolô, mortalium numero ereptô, ambo ejus filii Claudius ſcilicet & Albertus Anno 1664. inſciis deſcendentibus maſculis ex Linea Ferdinandea transactionem ineunt, de bonis paternis per quatuor proximè futurorum annorum ſpatium communiter poſſidendis & fruendis, in ſimul ſibi invicem ſpondentes, ne cui liceat, altero ingrato, intra prædictos 4. annos aliam quamcunque facere diſpoſitionem.

Qua tamen transactione non obſtante, Albertus Anno 1667. in ultimo ſuo elogio fratrem ſuum Dominum Claudium L. B. de N. heredem ſcribit, eíque in defectum liñeæ maſculinæ ſororium ſuum Dominum Rudolphum L. B de N. in præjudicium Lineæ Ferdinandeæ maſculinæ, ſubſtituit.

Poſt hæc Dominus Claudius tunc S. R. I. Comes de N. Anno 1693. pariter con-

ficit

ficit Teſtamentum, & deficiente prole maſculâ Dominum Georgium ex linea Ferdinandea maſculina in omnibus ſuis bonis immobilibus hæredem facit, Illuſtriſſimæ verò Conjugi ſuæ uſumfructum ad dies vitæ legat, & cum ipſo linea Carolina maſculina extinguitur. Fato hôcce ſubſecuto, inter heredes maſculos ex linea Ferdinandea exuna, & illuſtriſſimam Conjugem ultimò defuncti Domini Comitis Claudii uſufructuariam in immobilibus & proprietariam in mobilibus ex altera, nec non liberos Barones ex familia Rudolphina ex tertia parte, orta eſt contentio: cuinam ex duabus familiis, Ferdinandea ſcilicet & Rudolphina competat hoc in caſu jus ſuccedendi in bonis ultimi ex linea Carolina defuncti Domini Comitis Claudii? & an Illuſtriſſimæ Conjugi modo laudati Domini Comitis Claudii uſusfructus in immobilibus & proprietas in mobilibus teſtamento defuncti Domini mariti relicta Jure debeatur? Partes Actoris ſuſcipiunt Liberi Barones ex familia Rudolphina, Illuſtriſſimis

Comitibus ex Linea Ferdinandea interveniendo contradicentibus, & quamquam Dominus Georgius ex linea Ferdinandea à Domino Comite Claudio poſtremò heres teſtamento inſtitutus, tunc minorennis, hactenus neque egerit, neque auditus fuerit, ſententia tamen pronunciatur pro Liberis Baronibus ex familia Rudolphina. Contra quam cùm ſuperſtites maſculi ex Linea Ferdinandea, modò illuſtriſſimi Comites de N. competentia remedia interponendi Jus ſibi eſſe, exiſtiment, eò potiſſimùm videtur vergere principalis

## QUÆSTIO:

An pactum mutuò ſucceſſorium Anno 1644. inter Dominum Carolum & Ferdinandum LL. BB. de N. fratres ex providentia & reſpectivè teſtamentaria Lege Reverendiſſimorum Teſtatorum ini-

initum, firmo & tali de jure conſtet valore, ut omnia quæ hactenus contra ejus tenorem ſuſcepta ſunt, nullum ſortiantur de Jure effectum?

Non deſunt quidem graviſſimi ponderis argumenta, quæ valorem hujus pacti mutuò ſucceſſorii infringere videntur, & quidem

## Rationes Dubitandi.

Pacta ſucceſſoria, quibus de futura ſucceſſione viventis diſponitur Legibus reprobantur, & quod votum captandæ mortis contineant, tanquam bonis moribus contraria & plena triſtiſſimi periculosíque eventûs irrita declarantur, ita quidem, ut & illa conventio, qua filia dote contenta, hæreditati paternæ in inſtrumento dotali renuntiat, quamvis in ea mortis captandæ periculum non adeò præſens ſit, Juris authoritate improbetur,

*L. 3. C. de Collat.*

1mum Argumentum in contrarium deſumitur ex Jure Romano pacta ſucceſſoria univerſaliter reprobante.

Ac tandem etiam talia pacta, quæ inter duas plurésve perſonas, ſpem alienæ hereditatis ad ſe devolvendæ ex cognatione fortè habentes, in hunc finem inita ſunt, ut ſi is, de cujus ſucceſſione agitur, mortuus fuerit, & ad quosdam ex paciſcentibus hæreditas fortè pervenerit, certis pactionibus ſtetur, tanquam improba rejiciat IMPERATOR JUSTINIANUS in

*L. ult. C. de pact.*

Idem Judicium de pacto inter conjuges dotali inſtrumento interpoſito, ut poſt mortem mulieris, bona ejus ad ſuperſtitem maritum pertineant, ferentibus DIOCLETIANO & MAXIM. IMPP. in

*L. 5. C. de pact. convent.*

quod autem pacta reciproca quibusdam Auctoribus probentur, inter quos ſunt

FACHIN. *Lib. 5. Controv. c. 86. in pr.*
TIRAQUELL. *de Jur. primog. qu. 6. a. 5. ſeqq. ibique alleg.*
MYNS. *Cent. 2. obſ. 33.*

in

in Jure communi haud quaquam fundatum eſt, ſed inter milites tantùm obtinet

*L. 19. C. de pactis.*

& cum Jus ſingulare ſit, ad perſonas lege non comprehenſas nulla ratione extendendum eſt

*L. 14. ff. de LL. ad Rat. Dub. in Reſponſo Jur. à Cl. D. Præſide* BANNIZA *elaborato, & Imæ Diſſ. de* PRINC. LAUTERBACH. *ſubjuncto.*

Nec quidquam præſidii ejusmodi pactis in conſuetudine inveterata Germaniæ reperiri poſſe, ultrò contenditur, etenim, ut conſuetudini Legis authoritatem attribuere valeamus, rationabilem eam eſſe debere, omnium ſuffragio comprobatum eſt, quis autem rationabilem renunciabit illam conſuetudinem, quæ pacta bonis moribus contraria & vitæ alterius inſidiandi occaſionem inducentia fovet, quis corruptis populi moribus id indulgebit, ut ſaluberrimas Leges ſummâ maturitate in bonum publicum receptas è medio tollere earúm-

2dum Argumentum ab irrationabilitate conſuetudinis Germanicæ, pacta ſucceſſoria approbantis.

que ſedem occupare queant? Aliud longè ſentit

IMPERATOR CONSTANTINUS *in L. 2. C. quæ ſit long. conſ.*

dum de conſuetudine irrationabili diſſertiſſimis verbis reſcribit: *Conſuetudinis uſúsque longævi non vilis authoritas eſt: verùm non usque adeò ſui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem.* Sed qualis illa authoritas, quæ conſuetudini in cit. Lege attribuitur, num Juris eſt? certè non: talis enim ſi eſſet, Legem utique vinceret, conclamatum enim eſt, conſuetudinem, quæ Jure nititur, Legis habere vigorem.

*L. de quibus 32. ff. de LL. C. fin. X. de Conſuet.*

Facti ergo eſt hæc authoritas, ſc. conſuetudo corruptis populi moribus inveterata tantam de facto obtinet authoritatem, ut licèt corruptela ſit, eam tamen populus non facilè dimittat, ſed ſanctiùs fortaſſis cuſtodiat, quàm bonas Leges. Exempla præbent veteres Germaniæ populi, qui

multas consuetudines in turpissima superstitione fundatas religiosissimè observabant, quas Jus Romanum & veræ Religionis cognitio deinde sustulit, unicum cape in superstitioso innocentiam suam probandi more per ignem & ferrum candens &c.

*Vid. Cl. D. Præsidis* BANNIZÆ *processus Crim. cap. 10. §. 1. Ejusdemque Diss. II. de* PRINC. LAUTERBACH. *in fin.*

Quis autem dixerit ejusmodi consuetudines vel approbandas vel in Judiciis pro norma litium dirimendarum constituendas esse? Sit ergo, quod consuetudo per multa sæcula conventiones de futura successione in Germania approbaverit. Sit, quod Jus Romanum, quantùm pactorum validitatem, & obligandi efficaciam attinet, nunquam à Germanis receptum fuerit, attamen parum hoc prodesse poterit, si contra bonos mores & plena tristissimi eventûs esse ejusmodi pacta, consideraveris.

Demum

Argumentum 3tium ab imperfectione pacti.

Demum pone, mores Germanorum Pactorum ſucceſſoriorum uſum approbantes à ratione haud deflectere, nec periculum captandæ mortis alterius in germania timendum eſſe, nihilominùs tamen conventionis, de qua nobis hìc diſquiſitio eſt, validitatem nondum probaveris, cùm haud immeritò aſſeri poſſe videatur, pactum hoc de Anno 1644. nunquam perfectionem ſuam attigiſſe, ſed potiùs pro delineatione in futurum ineundæ conventionis mutuò ſucceſſoriæ habendum eſſe, cùm in ingreſſu ſtatim hujus pactionis ipſi paciſcentes fateantur, ſe propter temporis, & virorum prudentum, quorum conſilio in arduo hocce negotio uterentur, defectum, formalem & ſolidam conventionem adhucdum erigere nequiverint, ex quo dilucidè apparere videtur, quòd, cùm ipſi paciſcentes agnoverint, ſe pro nunc formalem pactionem concludere non potuiſſe, totum negotium in meriſſimis tractatuum terminis perhæſiſſe, & perfectum nunquam fuiſſe. Negotia autem ejusmodi

di imperfecta nullam producere obligationem, quia paciſcentes in eis haud ſubſiſtere, nec placito acquieſcere, ſed ad alia adhuc progredi voluerunt, apud omnes in confeſſo eſt. Paria enim ſunt in jure actum eſſe nullum, & imperfectum.

*L. 21. §. 1. C. de Teſtam.*

4tum Argumentum ex refutatione verborum obligatoriorum in pacto expreſſorum.

Et quamquam in literis ſuper pacto hocce confectis variis expreſſionibus obligatoriis uſi fuerint Perilluſtres Domini paciſcentes, operari tamen illæ haud poterunt, ubi aperta, uti hìc, intercedit imperfectio, & paciſcentes ipſi ultrò largiuntur, quod in futurum tempus conventionem omnibus ſuis capitibus abſolutam & in forma Juris demum contrahere velint. Ex quibus ulteriùs manifeſtè eruendum eſſe, videtur, quod, cum actûs completionem in futurum quidem contulerint, aſt nihil, quod eum firmiorem efficere valeat, fuerit ſubſecutum, perfectus cenſeri nequeat, actus enim perfectus dici non poteſt, qui partim factus eſt, partim non, & imperfectum

in genere eſt id, in quo aliquid adhuc agendum ſupereſt,

*L.pen.in fin. C. de his quibus ut indign.*

Quorſum procul dubio referenda ſunt præparatoria contractuum, ſeu tractatus præambuli, ex quibus nulla induci poteſt obligatio, antequam complementum quod intenderunt partes, acceſſerit, quod adeò verum eſt, ut & contractus conſenſuales, qui ad ſui perfectionem aliud nil, quàm utriusque contrahentis conſenſum deſiderant, pro imperfectis habeantur, ſi ſcripturam deſuper confici placuerit, eáque nondum ſit perfecta.

*L. 17. C. de fid. Inſtrum.*

5tum Argumentum ex conditione in teſtamento Carolino appoſita.

Quæ omnia Compaciſcentium alter, ſc. Illuſtriſſimus Dominus Carolus Lib. B. de N. probè agnovit, dum in teſtamento ſuo Anno 1653. confecto, in defectum propriæ ſtirpis maſculinæ, lineam Ferdinandeam maſculam quidem ſubſtituit, hâc tamen adjunctâ conditione, ſi fratris ſui prædefuncti filii, ſæpiùs memoratæ conventioni

tioni ſe non contraventuros, ſponderent, quid enim opus fuiſſet hâc adjectâ conditione ſubſtitutos ex linea Ferdinandea eò adſtringere, ut nova conſensûs declaratione ſeſe tractatui ſtaturos promitterent, ſi vigorem & obligandi efficaciam jam anteà obtinuiſſet, quia ſic ab illo, invito altero, recedi aliunde non potuiſſet

*L. 5. C. de obl. & Act.*

Obligationes enim ex contractibus & pactis ad heredes tranſeunt, & hi factum defuncti, cùm ejus perſonam plenè repræſentent, omnino præſtare tenentur.

*L. 9. ff. de probat.*

6tum Argumentum ex invaliditate Teſtamenti Carolini.

Nec etiam in Teſtamento Illuſtriſſimi Domini Caroli L. B. de N. de A. 1653. pacto quæſtionis ullum validitatis robur quæri poſſe, videtur; detur enim tale Teſtamentum omnibus ſolennitatibus de Jure requiſitis conſtitiſſe, nihilominùs tamen, illud per contrariam ultimæ voluntatis diſpoſitionem de Ao. 1654. quam teſtator teſtamentum ſuum expreſsè & ſemper compellavit, ruptum & ſublatum eſſe, non abs

ratione dixeris; certum enim eſt, quod per teſtamentum poſterius rumpatur prius.

§. 2. *Inſt. de Injuſt. rupt.*

Et ſi ponatur, illud ruptum non fuiſſe, deſtitutum tamen evaſiſſe, haud facilè negabitur; ſiquidem filium teſtatoris hæredem inſtitutum ex eo hereditatem amplexum eſſe, tàm parum conſtet, ut potiùs contrarium ex Atteſtato Notarii teſtamento adjuncto appareat, quod perhibet inſtitutum heredem dubitaſſe, utrùm hereditati ex teſtamento ſeſe immiſcere, an non potiùs Beneficio abſtinendi prætoris indulgentiâ liberis conceſſo uti malit. Quod clariùs adhuc evincitur ex eo, quod ambo Teſtatoris filii, Claudius & Albertus anno 1664. tanſigendo convenerint de hereditate paterna communiter ab inteſtato poſſidenda, id, quod legibus haud repugnat, cum, cui ex duplici capite hereditas defertur, illam poſſit repudiare ex teſtamento & adire ab inteſtato.

*L. 17. §. 1. L. 20. L. 77. ff. de acqu. vel omittend. hered.*

Deſti-

deſtituto autem teſtamento, Legata, fideicommiſſa & omnia ejus capita, & per conſequens etiam ſubſtitutiones obliquæ, qualis hæc eſt, corruunt.

7mum Argumentum ex non ſubſecuta adimpletione conditionis in teſtamento Caroli expreſſa.

Tandem, ſi, quod poſtremum eſt, concedatur, dictum Teſtamentum Illuſtriſſimi Domini Caroli nec ruptum, nec eo quo diximus modo deſtitutum redditum eſſe, nullum tamen exinde commodum, vel ex fideicommiſſo ſuccedendi emolumentum lineæ Ferdinandeæ ortum eſſe, videri poſſet, etenim in ejusdem §. 26. eadem quidem in caſum deficientis lineæ Maſculæ Carolinæ per modum fideicommiſſi, aſt ſub expreſſa illa conditione.

> Wofern meines (id eſt Teſtatoris Caroli) Herrn Brudern ſeeligen nachgelaſſene Söhne obgedachte Unterredung und getroffenen Vergleich auf allen ſolchem Fall, denen hinc inde gemachten Verſprechen gemäß, gleichmäßig zu halten, ſich erklären und gnugſam reverſiren werden.

Subſtituta eſt . . . quam conditionem, indubiè poteſtativam, nullibi adimpletam eſſe, apparet, reverſales enim à teſtatore ſubſtitutis injunctas præſtitas eſſe, probari nequit, & ſecundum

*L. 44. pr. & §. 3. & L. 55. ff. de Cond. & demonſt.*

Conditionem in forma ſpecifica adimpleri, neceſſe eſt, ut inſtitutio effectum ſortiatur. Nec ſufficere dixeris, quod ex parte lineæ Ferdinandeæ declaratio de ſtando pacto facta fuerit; quia inſuper Reverſales editas fuiſſe abſciſsè requiritur, quoties enim duo copulativè in conditione poſita ſunt, alterum impleviſſe non ſufficit

§. *11. Inſt. de hered. inſt.*

Conditione itaque non adimpletâ, evaneſcit heredis in- vel ſubſtitutio

*per vulgata.*

8vum Argumentum ex defectu confirmationis Cæſareæ.

Quodſi hæc omnia pacti quæſt. enervando valori nondum ſufficiant, non poſtremum contra ejusdem validitatem momentum adjicere videtur defectus confirmationis Cæſareæ, ad pactorum ſucceſſoriorum

rum ſubſiſtentiam adeò neceſſariæ, ut vix non omne robur ab ea accipiant, ejusdem authoritate ſuffulta malorum morum reprehenſione careant, & affectatæ mortis voto libera, paciſcentes fratrum loco haberi efficiat.

ZAS. *Conſ. 1. 39.* GAIL. *2. obſ. 127. n. 5.*

Et ratio eſt, ut cauſa cognita perſpicuum fiat, an talia pacta & ſtatuta familiarum Imperio non ſint futura nocumento. Præcipuè verò, ſi de feudis Imperii pactis hujusmodi diſponitur, confirmatio hæc ſine nullitatis periculo abeſſe non poterit, cùm evidens ſit, ab arbitrio vaſalli haud dependere, feudum ſine Conſenſu Domini Directi in aliam perſonam vel familiam transferre;

*2. feud. 39.*

Horum enim conſenſus in alienatione feudi neceſſarius eſt, de quorum præjudicio agitur

STRYCK. *in exam. Jur. feud. cap. 19. §. 2.*

Et hinc eſt, quod hiſce pactis ſalutaris illa inſeratur clauſula: *ſalvo Jure Imperii &*

*cujus-*

*cujuscunque*: Dem Heil. Reich und männiglich unnachtheilig.

Exemplo Principum Anhaltinorum prædictæ confirmationis neceſſitatem illuſtrat.

LEISER *Meditat. ad Pand. ſpecim. XXXIIX. ad Lib. II. Tit. 13 §. IV.*

Qui cum Marchiam Brandenburgenſem, extincto ſine liberis Waldemaro Electore, ex pacto, quod Cæſar non approbârat, peterent, repulſam paſſi feruntur, & Rudolphus II. Imperator confraternitatem, quam Saxo, Brandenburgenſis & Haſsûs olim initam Ao. 1587. renovârant, ſibi oblatam probare diſtulit, donec diploma Frid. III. quem ab initio pactum iſtud confirmaſſe dicebant, exhiberetur, proùt ex

LYMN. *in Addit. ad Jus publicum Tom. 2. lib. 14. c. 8. n. 166.* refert

*Cit.* LEISER *cit. l.*

Imo, cùm hodie ex præſcripto Capitulationis Imperator feuda Imp. quæ fortè vacaverint, aliis conferre nequeat, nec expectantias indulgere poſſit,

*Cap. Leop. art. 30.*

Non

Non infimæ notæ Doctores reperire est, qui negant, soli Imperatori, absque Electorum consensu, successoria illa principum pacta confirmare, integrum esse, inter quos agmen ducunt

Carpz. *de confrat. Sax. Hass. th. 47. & 57.*
Guttich *de confrat. th. 6. lit. a.*
Lamp. *P. 3. c. 5. §. 26.* & Lymn. *IV. 8. n. 153.*

Igitur, cùm pactum, de quo nobis quæstio est, Cæsareâ hâc confirmatione, tanquam indispensabili requisito, destitutum sit, imo & ipsi compaciscentes ejusdem confirmationis necessitatem haud ignorasse censeri queant, dum ad eam à Majestate Cæsarea rogandam sese adstrinxerunt, nullius momenti illud esse, facilè asseruerit contradictor.

Nonum Argumentum ex defectu consensus filiarum.

Ulteriùs conventionis nostræ mutuò successoriæ validitati objici potest, quod filiarum, de quarum præjudicio & exclusione ab hereditate paterna & bonis avitis potissimùm agebatur, consensus non fuerit adhibitus, cum tamen Juris & æquitatis

ratio minimè patiatur, aliquem ſine proprio ſuo facto jure ſuo quæſito privari, ipsíque per alterius factum iniquam conditionem inferri.

*Per notoria*

quemadmodum enim alteri per alterum obligatio non acquiritur, ita multò minùs alter alterum obligare poteſt.

*Toto tit. Inſt. per quas perſonas nob. acqu. obl.*

Idque in noſtro caſu eô minùs negligendum fuiſſet, quô magis ad ejusmodi confraternitatum eſſentiam conſenſum filiarum, vel reſpectivè ſororum excludendarum paſſim requirunt interpretes, earúmque renuntiationem jurejurando vallatam eſſe debere, Juris ratio exigit.

*C. quamvis de pact. in b.* GAIL. *L. 2. obſ. 39. u. 22.* STRUV. *ſyntagm. Jur. Civil. Exerc. 38. Theſ. 51.*

Quamvis autem hæc renunciatio jurata ex poſt ſc. Anno 1646., ex parte Cæciliæ, dum Rudolpho L. B. de N. in nuptias elocata

cata eſt, fuerit ſubſecuta, pacto tamen confraternitatis de Anno 1644. inito valorem retro attribuere nequit, cùm regreſſum ad ſucceſſionem tàm paternam, quàm maternam, in caſum, ſi fratres ſuperſtites absque heredibus maſculis ex hac vita migrare fortè contigerit, ſibi expreſsè reſervaverit, & aliunde renuntians à ſucceſſione non amplius excludatur, ſi illi in quorum favorem & commodum facta eſt renuntiatio, deceſſerint, vel alias ceſſet cauſa ob quam renuntiatum eſt.

STRUV. *l. cit.*

GAIL. *L. 2. obſ. 148. n. 10.*

Quod, cùm lineâ Carolinâ maſculâ in perſona Illuſtriſſimi Domini Comitis Claudii de N. extinctâ, contigerit, nullum videtur ſupereſſe impedimentum, quod à jure ſuccedendi ſibi reſervato renunciantem ejúsve heredes arcere queat.

Decimum argumentum ex defectu Juramenti.

Tandem ultimò contra ſubſiſtentiam Pacti controverſi obverti poſſet, quod inter cætera, quæ ad confraternitatis pactorum validitatem deſiderant mores Germa-

norum, etiam illud recenſeatur, ut Juramento à paciſcentibus hinc inde præſtito firmentur, & quamquam aliàs interpoſitioni fidei principalis, quam verbis: Bey Fürſtlichen Ehren, wahren Worten, Treu und guten Glauben: exprimi conſuetum eſt, tanta vis & efficacia attribui ſoleat, ut propter fidei exuberantiam, quæ in principibus & illuſtribus perſonis lumine clariore præfulget, communi DD opinione,

*In C. ad aures X. quod met. cauſ. & C. pervenit ad nos X. de fidejuſſorib.*

Ad corroborandam obligationem, corporali Juramento æquiparetur, ídque in Camera Imperiali obſervari, talémque promiſſionem Juramento aſſimilari teſtetur GAILIUS,

*Lib. 2. obſ. 59.*

MYNSING. *cent. 1. obſ. 17.*

Neutiquam tamen ad ſubſtantiam actûs, qui corporale Juramentum requirit, ſufficere poterit

GUTTICH *de confratern. concluſ. 9. Lit. a.*

Hæc ſunt, me arbitro, quæ contra conventionis Anno 1644. inter Illuſtriſſimos fratres

tres Carolum & Ferdinandum LL. BB. de N. ex providentia & reſpectivè teſtàmentariâ Lege Reverendiſſimorum Dominorum Teſtatorum initæ valorem in medium afferri poſſunt, potiſſima Argumenta. Quibus tamen ut aſſenſum præbeam, tàm parum moveor, ut potiùs in contrariam ſententiam, ſolidiſſimis convictus argumentis condeſcendam, & prædictum pactum mutuò ſucceſſorium tàm firmo robore conſtare exiſtimem, ut omnia quæ hucúsque contra ejus tenorem acta ſuſceptáque ſunt, nullum de jure valeant ſortiri effectum: id quod ſequentibus in Jure ſcripto & Germaniæ moribus fundatis argumentis demonſtratur.

## Rationes Decidendi

### ARGUMENTUM I.

Deſumitur â fine pactorum ſucceſſoriorum in genere, qui eſt pax & tranquilitas publica, utili-

tas & favor tum ipſorum paciſcentium, tum eorum ſubditorum à ſalute dominorum dependens.

Præparatio ad Rationes Decidendi.

Equidem, quatenus pacta ſucceſſoria, præcipuè ea, quæ inter acquiſitiva recenſentur & confraternitatum appellatione veniunt, ex antiquiſſimis Germanorum moribus originem trahant, & invecto Jure Juſtinianeo hucusque continuata fuerint, & inconcuſſa ſemper ſteterit eorum validitas, in parte generali paucis commonſtravi, nunc verò, cum hìc pacti ſpecialis, de quo inter duas Illuſtres Imperii familias controverſia viget, valorem adſtruendi mihi cura incumbat, non abs re fore ratus ſum, ſi ex fine Pactorum confraternitatis in genere eorundem utilitas ob oculos ſiſtatur, & in pacto controverſo in ſpecie comprobetur, ut per hoc ſpecialiora, quæ pro validitate hujus conventionis adducturus ſum, ſolido innixa fundamento, eò clarius eluceſcant.

Tri-

Triplex autem eſt Pactorum Confraternitatis finis: nimirum Pax & tranquilitas publica, utilitas & favor familiarum paciſcentium, ſalus & emolumentum ſubditorum.

Triplex pactorum ſucceſſoriorum finis ſc. pax & tranquilitas publica, favor familiarum, & ſalus ſubditorum.

Pacem & tranquilitatem publicam quod attinet, nemo prudens inficiabitur, eam præcipuè in Germania noſtra tanquam fulcris magna ex parte inniti certâ in principatibus & territoriis ſucceſſorum deſtinatione, Procerum Imp. maximè eorum, qui arctiſſimo ſanguinis vinculo ſibi conjuncti ſunt, amicâ concordiâ, litium exterminatione, & familiarum illuſtrium conſervatione, quæ omnia confraternitatis pacta in Germania noſtra plantant & ſalubriter conſervant. Quid enim, ſi principatum, Ducatum, Marchionatum, Comitatum aliúdve Imperii Territorium quocunque fato ſine certa ſucceſſoris determinatione quaſi viduum reddi, contingat, quid, inquam, aliud exſpectandum, quàm principatum aliúdve Territorium in partes dilacerari, in aliam reipublicæ formam, unde exitiales tumul-

Argumentum primum deſumitur à pace & tranquilitate publica.

Quæ certa in territoriis ſucceſſorum deſtinatione, procerum amicâ concordia & litium exterminatione & familiarum illuſtrium nititur.

tus

tus & inteſtina bella, ex quibus omnis generis mala tanquam ex uberrima ſcaturigine in totam rempublicam copioſiſſimè promanant, transmutari, diverſa à prioribus ſacra invehi, & totum civitatis ſyſtema uno veluti ictu convelli, quod certè non ſolùm cum extremo principatuum & Territoriorum exitio, verùm etiam cum maximo totius Imperii detrimento conjunctum eſt. Exempla ſi petas, antiquitatem conſulere haud neceſſe habes, plurima enim, & inter illa unum quod longè luctuoſiſſimum eſt, tibi perhibet illa, in qua vivis, ætas. Quid dicam de procerum amica concordia? ſi enim à ſtatuum proſperitate totius Imperii incolumitas dependeat, & membris bene conſtitutis, totum quoque corpus firmum ac validum eſſe cenſeatur, eviden-
ter ſanè conſequitur, quod, ruptâ inter partes concordiâ, omnia in exitium totius parentur, nec alia litium exterminationis & familiarum Illuſtrium conſervationis ponenda ratio, ex litibus enim oriuntur jurgia, hæc animos exacerbant, & vota in

alio-

aliorum perniciem concitant. Illuſtrium familiarum interitus, ſplendorem & dignitatem Imperii obfuſcat, Decus gentis eliminat, & inclytorum Heroum memoriam omni ævo commendabilem oblitterat. Aſt tollatur ex Imperio uſus pactorum Confraternitatis familiarum illuſtrium, ſtatim apparebit, Principatibus & Territoriis de certa ſucceſſione non æquè facile eſſe proviſum, inter proceres Imperii ali diſcordiæ ſemina, lites de ſucceſſione eſſe inexterminabiles, & de Illuſtrium Familiarum conſervatione actum conclamatúmque eſſe. Reipublicæ ergo intereſt, ejusmodi pacta in Germania non ſolùm tolerari, ſed & uſum eorum, nunquam interruptâ annorum ſerie inveteratum in futura ſæcula poſteris eô enixiùs commendari, quô magis cum communi bono eundem conjunctum eſſe, nemo non videt.

Secundum Argumentum ab utilitate & favore familiarum illuſtrium.

De utilitate & favore perſonarum familiarúmque paciſcentium, ac ſubditorum ſalute, res ipſa loquitur; quid enim magis ſplendorem, ac dignitatem familiarum ſe-

neſcere facit, quàm pacta hæc ſucceſſoria? utpotè per quæ efficitur ut res familiæ conſerventur, opes augeantur, bona quaſi immortalitate quadam afficiantur, quæ ſi pacta gentilitia non forent, infinitis diviſionibus obnoxia in pulverem, ut ita dicam, ſenſim abirent, & ad extraneos non niſi cum magna ſæpe Illuſtris Familiæ dedignatione transferrentur: perquam enim lugubre eſt pertimeſcere & noſſe, antiqua majorum prædia & caſtra ad manus externas tandem eſſe perventura

*L. 6. C. de bon. quæ lib. l. 22. C. de Adm. Tut.*

Accedit, quod per pacta hæc, quibus non rarò Jus primogenituræ, majoratûs vel ſenioratûs in familiam introducitur, & cœleſtis & terrena militia viris tàm nobilitate, quàm virtute & animi generoſitate conſpicuis repleatur, qui & publico bono promovendo fortiter inſerviunt & ingens decus familiæ inferunt.

Nec conquerantur hic vel illa, ſe per pacta ſucceſſoria à bonis & rebus avitis,

quas

quas ſanguinis propinquitas, naturalem rationem ſecuta ipſis adjudicat, contra æquitatem repelli; etenim, quod in bonis ipſis quodammodo decedit, ſplendor & decus familiæ, de quo cum aliis æqualiter participant, & in quo præcipuè Illuſtrem propaginem gloriari decet, inſigniter compenſat, & bonum gentis melius eſt, quàm bonum unius, inquit Philoſophus

1. *Ethic.*

Subditorum ſaluti pacta hæc eatenùs conſulunt, quatenùs per certam ſucceſſorum determinationem hoſtiles invaſiones & bella, ſuper ſucceſſionis Jure oritura, ab ipſorum arvis arcentur, certiorantúrque, quod non ſint tranſituri in alienorum & peregrinorum Dominorum poteſtatem, quod ſanè non exiguo ipſis eſt emolumento; Ex commixtione enim diverſarum gentium corruptio quoque morum, & mutatio oritur Legum.

Tertium argumentum à ſalute ſubditorum.

*Petr. Greg. 4. de republ. 4. n. 14.*

Quemadmodum autem pactorum confraternitatis Familiarum Illuſtrium propter inſi-

Tria hæc argumenta ad pactum noſtrum appli-

cantur & exinde ejusdem valor eruitur.

insigne, quod tàm in Rempublicam, quàm familias subditósque diffundunt emolumentum, usus & constans in Germania valor semper floruit, ita æqualis firmitas & infringibile robur ex iisdem, quæ hactenus adstruxi, fundamentis pacto quæst. in specie omni ratione asserendum est: Nam, si, quod nemo inconsultè impugnatum ibit, Rei germanicæ ejúsque statui congruum sit, pactis gentilitiis familiarum illustrium in genere pacem & tranquilitatem inter membra nutriri, familiarum Decus immortale constitui & subditorum quieti, eâ, qua par est, solicitudine paternâ consuli, id sanè de nostra conventione in specie negari haudquaquam poterit, cum quæ prædicantur de genere, de singulis quoque speciebus sub eo contentis prædicata censeantur.

Quartum à sollicitudine & fideicommissaria Dispositione Celsissimi Domini Electoris.

Acutissimè hæc omnia inspexit ac veluti in speculo contemplatus est Reverendissimus ac Celsissimus S. R. I Princeps Elector Philippus Testator providissimus, dum non solùm inter mortales adhucdum degens fratris sui filios ex post testamento here-

heredes inſtitutos ſæpiſſimè cohortatus eſt, ut familiæ conſervandæ curam ſemper ſibi cordi ducant, & in hunc finem de bonis, extra familiam per ſexum fœmininum nunquam transferendis, ſed in progeniem maſculam continuâ ſucceſſione derivandis, invicem conveniant, verùm etiam ſupremi ſui elogii ordinationem in hunc finem direxit, ambos nepotes ex fratre ſæcularis ſtatûs hæredes in- ſibíque invicem ea Lege ſubſtituendo, ut, unius lineâ ſine deſcendentibus maſculis extinctâ, omne hæreditatis emolumentum fideicommiſſario Jure in alterius lineæ prolem maſculam, excluſis fœminis, continuâ ſerie devolveretur.

Ecce inſignem & verè paternam, gentis ſuæ ſplendorem in ſeram usque poſteritatem provehendi, ſolicitudinem, non ſolùm in quàm plurimis Germaniæ nobiliſſimis familiis comprobatam, ſed & in vetuſtiſſimis Romanorum conſtitutis ſolidè fundatam, ipſa enim famoſiſſima Lex XII. Tabb. ſolos agnatas & poſt eos gentiles, remotis cognatis

Confirmatur ex Jure Romano antiquiſſimo.

gnatis ad inteſtatam ſucceſſionem vocabat.

ULPIAN. *Fragm. tit. 26. §. 1.*
CIC. *de orat. Lib. 1. cap. 38.*

Idque in Republica Romana ſanctiſſimè obſervabatur, donec Edicto unde liberi & unde Cognati bonorum poſſeſſionem eis largiretur Prætor, ejúsque veſtigiis inſiſtens Imperator Juſtinianus omnem quoad ſucceſſionis Jus ſexûs differentiam tolleret

*per Nov. 118.*

Si igitur, quod in germania frequentiſſimum eſt & in parte generali exemplis illuſtratum dedi, ſuper bonis reſtitutioni haud obnoxiis nulláque fideicommiſſi Lege familiæ adſtrictis pacta comprobet conſuetudo patria, & pro illis ſtet communis & univerſalis JCtorum Germanicorum Authoritas ſupremorum Imperii Dicaſteriorum præjudiciis fulcita, idem haud dubiè de pacto noſtro, in controverſiam revocato, erit ferendum Judicium, utpotè quod glorioſiſſimæ memoriæ Teſtator in vita enixè adeò recommendavit, & in ultima men-

mentis teſtatione fideicommittendo intendit.

Exemplum Celſiſſimi Patrui ſui imitatus eſt Reverendiſſimus Dominus Fortunatus L. B. de N. Archi-Eccleſiæ N. Præpoſitus digniſſimus Dominorum Caroli & Ferdinandi à Celſiſſimo Archi-Præſule inſtitutorum heredum frater, dum in teſtamento ſuo Anno 1637. condito ambos dominos fratres ex eodem fine, cum eadem ſubſtitutione, in caſum deficientis lineæ maſculinæ, inſtituit, iiſque inſuper, ut eò promptius intentioni ſuæ præſtarent obſequium, diſertiſſimis verbis injunxit, ut pro majore ſtemmatis maſculini conſervationis firmitate pactum de mutua ſucceſſione lineali (eine Stammens-Vereinigung) cum excluſione fœminarum inirent, quo ſanè dilucidius nil conſtituere potuiſſet, gentis ſuæ bono ſummopere intentus Teſtator, & quod amborum, ſcil. tàm Celſiſſimi Domini Electoris Archi-Epiſcopi Patrui, quàm etiam Reverendiſſimi Domini Præpoſiti teſtamenta omnibus ſolennitatibus

Quintum argumentum à fideicommiſſaria Lege Reverendiſſimi DominiPræpoſiti paciſcentium fratris.

tibus tàm in- quàm externis de Jure requiſitis abſoluta, valore inexpugnabili conſtiterint, abunde commonſtravit ſucceſſus; ſiquidem Illuſtriſſimi Domini Nepotes & reſpectivè fratres, nullo prorſus ſibi à quocunque objecto impedimento, hereditates adierunt, & hoc ipſo facto Reverendiſſimorum Teſtatorum voluntates coinprobarunt, ſéque ad teſtamentariæ Legis obſervantiam arctiſſimè obſtrinxerunt. Notum enim, & omni, quo in ultimis voluntatibus utimur, Jure, perſpicuum eſt, voluntatem Teſtatoris heredi adinſtar Legis eſſe, ídque luculenter innuunt verba *LL. XII. Tabularum*, dum Decemviri largiſſimam de rebus in ultimo Elogio diſponendi indulgentes facultatem, caviſſent: Paterfamilias quemadmodum ſuper familia, pecunia Tuteláve ſuæ rei legaſſit, ita Jus eſto. Legare autem nihil aliud eſt, quàm legis modo quidquam præcipere

Ulpian.

ULPIAN. *Fragment. Tit. XXIV.* §. *1.* relatus ab HEINECC. *ad Pandect. qui Testam. facere poss. in nota.*
Nov. *XXII. c. 2.*

Et aditio hereditatis est quasi contractus, per quem is, qui hereditatem sibi delatam amplectitur, insimul judicium defuncti agnoscere, & cum legatariis & fideicommissariis contrahere, ac tacitè se illis obligare, séque oneribus, quæ ex voluntate defuncti subeunda sunt, subjicere censetur.

§. *heres quoque 5. inst. de obl. quæ quasi ex contract. & DD. ibid.*

Ex quibus omnibus dilucidè satis consequitur, quod pactum ex providentia & respectivè testamentaria Lege Reverendissimorum Testatorum per subsecutam aditionem plenissimum effectum nactâ, inter illustrissimos heredes de mutua successione initum, ipsos non solùm paciscentes efficaciter obstringat, sed & ad eorum heredes obligationem in infinitum transmittat;

Ex 4to & 5to argumento illatio.

quilibet enim non ſolum pro ſe, ſed etiam pro heredibus ſuis contraxiſſe eósque obligaſſe, cenſendus eſt

*L. ſi pacta 9. ff. de probat.*

Unde actiones ex contractu vel quaſi deſcendentes heredi & in heredem competunt, eíque & in eum activè & paſſivè tranſeunt; heres enim ſuccedit in univerſum Jus quod defunctus tempore mortis habuit, ejúsque perſonam fictione Juris repræſentat

*L. 24. ff. de V. S. & DD. paſſim omnes.*

Quódque hoc pactum non ſolùm laudatiſſimorum Teſtatorum ſed etiam ipſorum heredum bona affecerit & fideicommiſſariæ reſtitutioni obnoxia reddiderit, *ſolidâ* Juris ratione evincitur, quemadmodum enim aliàs fideicommiſſa teſtamento relinquuntur

*Tot. Tit. ff. ad SCtum Trebell. C. de fideicomm. & Inſt. eod.*

Cùm quilibet ſit rerum ſuarum moderator & arbiter, ſic etiam fideicommiſſa familiarum

rum nobilium teſtamentis introduci & conſtitui poſſe, dubium non eſt, eorúmque cauſa efficiens eſt ſola voluntas teſtantis, cum ejusmodi fideicommiſſa generaliter conſtituere poſſint omnes, qui de bonis ſuis teſtari, donare & contrahere poſſunt.

PHILIPP. KNIPPSCHILD *in ſpec. Tract. de fideicomm. & c. cap. 3. per tot.*

Cauſa formalis ſucceſſio agnatica, finalis verò familiarum conſervatio, quæ, quatenus Reipubl. utilitatem promoveat, dictum ſuperiùs.

Nec eſt, quod ratione cauſæ materialis objicias, & dicas, bona Caroli & Ferdinandi Illuſtriſſimorum fratrum, aliunde acquiſita, diſpoſitioni Reverendiſſimorum Teſtatorum haud fuiſſe ſubjecta, neque in præjudicium deſcendentium fœminarum eárúmque legitimæ deminutionem eos quidquam ſtatuere potuiſſe: ſicut enim teſtator rem heredis propriam, imo prorſus alienam alteri efficaciter legare poteſt,

§. *non ſolum 4. Inſt. de Legat.*

Ita eidem non minus permissum est, ex re propria heredis fideicommissum constituere

*Per apertum Textum in L. heredum 25. C. de fideicom.*

Ex ratione, quod heres & defunctus pro una eadémque persona habeantur, & eadem fictione Juris res heredis videatur esse defuncti, quod heres, qui ex voluntate defuncti commodum sentit, ex naturali æquitate etiam teneatur eam sequi in onere & pati, ut res fideicommisso gravetur, & fiat obnoxia restitutioni.

KNIPPSCHILD *cap. 5. n. 89. & 90. & ab eodem citati.*

Sextum argumentum à paritate inter fideicommissa testamentaria & pactitia.

Si enim fideicommissa familiæ per conventionem in conservationem familiæ introducta obligationis vim exserant, proùt id assensu suo dignantur scriptores in Jure Germanico clarissimi, inter quos referuntur

*Dn.* HARPR. *tract. de fideicom. convent. per tot.*

BESOLD. *cons. 221. n. 18. seqq.*

KNIPPSCHILD *de fideicom. fam. nobil. C. 6. n. 31.*

Multò

Multò magis eundem effectum operabuntur fideicommissa per testamenta constituta, & vigore testamentariæ dispositionis & Legis per subsequens pactum ab heredibus initum confirmata, duo enim hic concurrunt vincula, sc. vinculum ultimæ voluntatis, quæ Legis instar est heredibus, & vinculum conventionis, quibus omnibus accedit, quod consuetudo Germaniæ secundum communem Doctorum sententiam pacta excludentia fœminas dotatas à successionibus valida sint & de Jure subsistant.

Confirmatur consuetudine Germaniæ pacta fœminas dotatas à successione excludentia approbante.

MENOCH. *Cons. 251. 18.*
BRUNN. *de stat fœm. exclud. art. 1. n. 19.*
FUSAR. *de subst. qu. 308. n. 54.*
MYNS. *3. obs. 26. & Cons. 49. n. 26.*
GAIL. *L. 2. obs. 22. n. 10. & alii.*

Quod omnium ferè Europæ partium consuetudine approbatum esse existimat

JOH. TORRE *de pact. futuræ succes. Lib. 1. c. 14. n. 5. seqq.*

Et propter familiarum conſervationem multa etiam contra Jus regulare recepta eſſe aſſerunt

VULT. *vol. 4. Conſ. Marp. 54. n. 8.* &
KNIPSCHILD *de fideicom. fam. c. 7. per tot.*

Septimum Argumentum ab eo quod hoc pactum omnibus requiſitis conſtet.

Verùm ipſius pacti quæſtionis formalia nunc attentiùs ruminanda ſunt, & inquirendum, num omnia, quæ alias ad pactum familiæ deſiderantur requiſita, in eo fuerint adhibita. Ubi ſtatim veluti in veſtibulo occurrit pacti vel conventionis generica definitio ſc. quod ſit duorum vel plurium in idem placitum de dando vel faciendo conſenſus, qui ut obligationis effectum operetur, aliud regulariter non requiritur, quàm ut deliberato animo ſuper materia honeſta & commercio humano ſubjecta ſit præſtitus ab iis, qui res ſuas liberè adminiſtrandi, ſéque ad factum obligandi facultate pollent, unde differunt pacta à tractatibus; his enim id ſolummodò agitur, ut partes ad præſtandum utrimque conſenſum diſponantur, & cognitis hinc inde conditionibus adjiciendis, ad paciſcen-

ciſcendum facilitentur, ipſe verò conſenſus in idem placitum adhuc ſuſpenditur, quapropter ex iis ad concluſionem non deductis nec hodie obligatio naſcitur

STRYCK. *us. mod. Pand. de pact. §. VIII. & Caut. Contract. ſect. 1. c. 6. §. 1.*

Nunc quantum ad pactum quæſt. certum eſt ex hactenus deductis, 1mo quod Illuſtriſſimi fratres ad illud ineundum ex providentia & reſpective teſtamentaria Lege Reverendiſſimorum Teſtatorum, ipſis ſanctiſſimè obſervandâ fuerint obligati, 2do quod facultate paciſcendi polluerint. 3tio quod materia fuerit honeſta, in commercio humano conſtituta, ipſorum diſpoſitioni ſubjecta, & talis, ſuper qua paciſci ipſis non ſolùm integrum, ſed & neceſſarium erat, unde id ſolùm adhuc diſquiſitioni obnoxium eſſe videtur: *An de cætero conſenſus omnium, quorum interfuit, fuerit adhibitus & alia requiſita v. g. confirmatio Cæſarea, Juramentum &c. acceſſerint, ac tandem, an non fortè res adhucdum in meris tractatibus perſtiterit?* quod conſenſum eorum, quorum

Recenſentur requiſita, quæ in pacto controverſo fuêre adhibita.

rum interfuit, & confirmationem Cæsaream concernit, in Resolutionibus rationum dubitandi, nec consensu fœminarum, de quibus excludendis actum fuit, nec confirmatione Cæsarea, nec etiam juramento opus fuisse, demonstrabo, hic verò solummodò probare conabor, rem non in nudis tractatibus, ad conclusionem non deductis, perstitisse, sed in perfectam conventionem plenè abiisse; Etenim quid magis probat pactum reverà esse initum, & consensum utrimque actu esse præstitum, quàm verba obligatoria de præterito & præsenti enunciata? talium autem plenum est Instrumentum super pacto quæst. erectum: in quo paciscentes energicis hisce utuntur expressionibus:

Rem non in meris tractatibus substitisse probatur.

„Daß Wir Uns wohlbedächtlich und
„verbindlich hiemit obligiret, Wie
„Wir dann Krafft dieses zum aller-
„beständigsten als es immer geschehen
„solle, kann oder mag, bey unseren
„Ehren, Treu und Glauben, ohnwie-

„der-

„derrufflich einer gegen dem anderen
„verobligiren und verbinden:

Et paulo poſt:

„So haben Wir Uns kräfftiglich und
„ohnwiederrufflich dahin beredet und
„beſchloſſen

Ecce non dicunt paciſcentes, quod in futurum convenire & conventionem concludere velint, ſed id jam actum eſſe per verba: beredet und beſchloſſen expreſſiſſimè aſſerunt. Et tandem in fine priora repetentes in ſequentia verba abeunt:

„Gleichwie nun Wir obgemelte bey-
„de Gebrüdere zu dieſer Stammens-
„Vereinigung hiemit und in Krafft
„dieſes, zum allerbeſtändigſten es im-
„mer geſchehen mag, bey unſeren
„wahren Worten und Glauben, mit
„Handgegebenen Worten an Ayds-
„ſtatt uns verobligiret und verbunden
„haben wollen.

Non video, quibus verbis uti debuiſſent paciſcentes, ad magis exprimendum conſenſum; de præterito enim loquuntur & de

præſenti, pactum conſtantiſſimè concluſum eſſe aſſerunt, ſéque illud inviolabiliter ſervaturos eſſe, pollicentur.

Octavum argumentum ab eo quod Conventio interimiſtica, qualis hæc eſt actu obliget.

Nec obſtat quod propter defectum virorum prudentum interimiſticè tantummodò convenerint, ſéque pleniùs adhuc rem tractaturos eſſe, ſpoſponderint; interimiſtica enim conventio deliberato animo inita non minus, ac abſoluta, actu obligat, & tamdiu vigore ſuo conſtat, quamdiu aliud actum non eſſe, liquet. Quis enim, ut alia exempla ſilentio prætéream, famoſam illam transactionem Paſſavienſem Anno 1552. inter Cæſarem & Status Imperii ſuper religionis negotio contractam ex eo capite impugnet & infirmam pronunciet, quod tantùm ad interim, donec, ſc. per ſubſecutuPro-

Probatur exemplo transactionis Paſſavienſis.

ram pacem religioſam res plenè ad liquidum perducatur, valere debeat? Eo ipſo enim, quod pactum interimiſticum ſit, perfectum jam eſt & tamdiu duraturum, donec aliud placuerit, & res pleniùs fuerit acta. Quod, ut paciſcentes ipſi eò magis adhuc indicarent, reſervârunt ſibi quidem facultatem, com-

commodo tempore & data occaſione, adhibitis in conſilium Jureconſultis amplam magis & pleniorem erigendi conventionem, huic tamen ad interim ſeſe ſtaturos diſertè ſtipulati ſunt in verbis:

„Damit gleichwohlen immittels und bis
„dahin unſere vorhabende Stammens-
„Vergleichung zu ihrem völligen und
„beſtändigen Weſen gelanget, unſere
„intention auf den ohnverhofften Fall,
„da von Uns obbemelten beyden Brü-
„deren einer oder der andere nach dem
„Willen GOttes abgehen würde, nicht
„gar zu Grund gehen möge, ſo haben
„Wir uns kräfftiglich ꝛc.

Et tandem hanc interimiſticam conventionem cum originali futuri plenarii contractûs æqualem firmitatem ac robur habere debere, concludunt, & clauſulis Juramenti vim involventibus corroborant veluti:

„Bey unſern Ehren, Treu und Glau-
„ben, bey unſeren wahren Worten und

„Glauben, mit Handgegebener Treu an
„leibl. geſchwornen Aydesſtatt.

Quales aſſertiones ſecundum probabiliorem Doctorum ſententiam Juramenti vim habent, & ſinceram animi intentionem, indicant.

Carpz. *de pact. confrat. th. 29. n. 106.*
Besold *p. 2. conſ. 44. n. 27.*
Gail. *lib. 2. obſ. 59. n. 6. & alii.*

Imprimis vero formulam illam:

„An leibl. geſchwornen Aydesſtatt:

Pro juramento habendam eſſe, & implicitum Juramentum continere, pluribus evincit

Mevius *part. 1. dec. 146.*

Ex ratione, quod paciſcentes pro juramento eſſe velint, & ex conſuetudine talem vim habeat, dum hodie ejusmodi formulas adhibent, ut contractus juratos faciant: & quamquam plures Doctores reperire ſit, qui in hoc diſſentiunt, id tamen intelligunt de eo tantum caſu, quo ad eſſentiam actûs cujusdam corporale Juramentum requiri-

quiritur, tunc enim Juramentum obliquum vel implicitum non ſufficit, nam licèt verum Juramentum ſit, tamen non, ùt poſcitur, formatum eſt, ubi autem forma jurandi à jure præſcripta eſt, per æquipollens adimpleri nequit

MEV. *l. c. n. 2. & apud eum relati* TIRAQUELL. *de LL. Connub. 1. in verb. experti n. 189.*

JASON *in L. 1. n. 4. ff. de V. O.*

Quod tamen hìc non requiritur, cùm certum ſit, ad ſubſtantiam pactorum Juramentum non requiri, ſed clauſulas illas Juramentum continentes, ad exuberantiorem fidei expreſſionem pactis adjici.

Nonum argumentum à ſubſcriptione & ſubſigillatione.

Nec minùs ſubſcriptio & ſubſigillatio ab utraque paciſcentium parte facta conventionis perfectionem innuunt; quid enim hiſce opus fuiſſet, ſi pro mera delineatione, à qua uni altero etiam ingrato pro lubitu recedere licuiſſet, ſcriptura illa deſervire debuiſſet, cum tamen alias ſubſcriptio & ſubſignatio conſenſum & obligationem inducant,

CARPZ. *p. 1. Concl. 17. defin. 16. n. 4.*

Et ſubſcriptio in confirmationem eorum, quæ ſcriptura complectitur, fiat

*L. ſi non ſubſcripſiti 15. C. de Adminiſt. tut.*

MEV. *p. 6. dec. 45.*

Decimum argumentum ab eo, quod conventio quæſt. ſaltem valeat ut pactum de paciſcendo.

Tandem, ſi, quod tamen rationi & expreſſiſſimo verborum tenori longiſſime repugnat, ultrò concederetur, paciſcentes id non intendiſſe, ut de futura ſucceſſione ad maſculos tantùm transferenda, actu contraherent, ſed de in futurum paciſcendo ſolummodò conveniſſe, negari tamen non poſſet, illam conventionem ad minimum valere in vim pacti de contrahendo, inter quod & tractatus hæc eſt differentia, quod hi prorſus nullam producant obligationem, pactum de contrahendo autem ad contrahendum efficaciter obſtringat, ita, ut, qui ſe venditurum, vel rem commodato daturum mihi promiſit, ad vendendum vel commodatò dandum mihi omnino obligetur; adeſt enim jam tum amborum in idem placitum conſenſus,

Inter quod & tractatus differentia.

STRYCK. *uſu mod. pand. de pact. §. VIII.*

Hæc-

Hæcque obligatio ex natura obligationum ex contractu vel quasi descendentium pro-cul dubio ad heredes in infinitum fuisset transitura, unde si fœminæ ex linea Carolina descendentes bona avita petere velint, Jure hereditario id facere debent, si vero Jure hereditario petant, ex obligatione avita ad se transmissa paciſci tenentur, quod viginti Imperialium millium dote contentæ (hæc enim summa pacto definita est.) Reliquam hereditatem masculis ex linea Ferdinandea superstitibus restituere velint.

Obligatio ex illo ad heredes transit.

Undecimum argumentum à jurata renunciatione Cæciliæ.

Rursum ad validitatem sæpius allegati pacti non modicum contribuit Jurata renunciatio facta in pactis Dotalibus à Cæcilia filia Caroli, dum Domino Rudolpho L. B. de N. in nuptias collocaretur, ex cujus persona descendentes ex Linea Rudolphina prætensionem suam efformant; Etenim si etiam ponatur, quod, non obstante fideicommissaria Reverendissimorum Dominorum Testatorum dispositione & pacto illam subsecuto, Jus quoddam fuerit Cæciliæ succedendi in bonis avitis, illo tamen haud immeritò per prædictam renunciatio-

ciationem ſeſe abdicaſſe cenſenda eſſet, quid enim notius & in omni Jure magis ſolenne eſt, quàm Jure quæſito renuncian-di cuilibet eſſe facultatem.

*Per vulgata*

Comprobat hoc Germaniæ conſuetudo omnium ſuffragio munita, & quotidianâ experientiâ firmata, ut pluribus commonſtrare ſupervacaneum duxerim. Reſervatio regreſſus obeſſe minimè poteſt, nam renunciando Cæcilia Reverendiſſimorum Patruorum fideicommiſſariæ Legi ſe tantummodò conformavit, nihil novi conſtituit, ſed, quæ hactenus diſpoſita fuerunt, & jam aliunde firmitatem conſecuta erant, conſenſum ſuum adjiciendo, quantum in ſe fuit, magis roboravit, ut adeò reſervatio regreſſus ad bona paterna fideicommiſſo tàm per teſtamentarias diſpoſitiones, quàm etiam per pactum obnoxia, nullum prorſus effectum operari queat. Imo ſi res penitiùs inſpiciatur, facilè cognoſcitur, neque mentem Cæciliæ fuiſſe, ſibi regreſſum ad bona paterna, & illa quæ à Patruis profecta

Cui non obſtat reſervatio regreſſus.

Confirmatur, quod neque mens fuerit Cæciliæ, ſibi reſervandi regreſſum ad bona paterna.

fecta ſunt, reſervandi. Omni enim ſucceſſioni tàm paternæ, quàm maternæ purè & abſolutè renunciavit, & reſervato ſibi regreſſu & jure ſuccedendi in eum caſum, ſi maſculos ex linea paterna deficere fortè contingat, expreſsè addidit, quod per reſervationem ſuam Teſtamentis Celſiſſimi Domini Electoris & Reverendiſſimi Domini Præpoſiti nihil derogatum velit, ſed omnia proùt diſpoſita ſunt, & per conſequens etiam fideicommiſſa, in illis ordinata, pactúmque inde exortum firmiſſimum robur retinere debeant. Ex quibus manifeſtè liquet hanc reſervationem regreſsûs maternam hæreditatem reſpexiſſe, nec quidquam præjudicii lineæ maſculæ Ferdinandeæ afferre potuiſſe; ſiquidem tempore renunciationis factæ à Cæcilia, in vivis adhuc dum degebant ipſius ambo fratres Claudius & Albertus & duæ ſorores Juniores poſtmodum mortua matre monaſterium ingreſſæ, hæque ſucceſſioni nondum renuntiârant, quod tamen poſtea ante ingreſſum in Religionem factum eſſe, ex ſpe-

Probatur ex tenore reſervationis.

Ex quo eruitur reſervationem materna tantum bona reſpexiſſe.

cie facti conſtat, quapropter regreſſum, quem in paterna bona ſibi in præjudicium lineæ Ferdinandeæ attribuere non potuit, obſtantibus fideicommiſſis & pacto, in ſucceſſionem maternam ſibi reſervâſſe cenſenda eſt, hácque reſervatione ideo opus fuit, ne matre ex hac vitâ migrante, omni prorſus ſucceſſionis ſpe deſtitueretur.

Duodecimum argumentum à Teſtamento Domini Caroli.

Ulterius conventionem noſtram non modicè confirmat Teſtamentum alterius paciſcentium ſc. Illuſtriſſimi Domini Caroli utpote qui Celſiſſimi Domini Patrui ſæpius in vita perceptæ voluntatis & Reverendiſſimi Domini Præpoſiti teſtamentariæ legis memor, unicum ſæcularis ſtatus filium Dominum Claudium heredem ſcribit, eíque, in caſum deficientium deſcendentium maſculorum, in omnibus immobilibus ſubſtituit fratris ſui Ferdinandi filios, ea tamen lege ut compactatorum Anno 1644. erectorum leges ſeſe æquâ obſervatione cuſtodituros eſſe, reiteratò ſponderent. En ſolicitam Teſtatoris curam in obſervanda conventionis lege, non ſolùm enim ipſe in

ea

ea ad amuſſim adimplenda præſtitam fidem ſtudiosè liberat, ſed & lineam Ferdinandeam maſculam, ad æquale placito obſequium præſtandum, novo quaſi vinculo adſtringit, útque ab omni impugnatione liberum redderet teſtamentum ſuum, Alberto filio ſuo natu majori, in ſacris ordinibus conſtituto, certum annuum reditum unà cum ſumptibus pro obtinendis præbendis ſecundum ſtatuta & conſuetudines Eccleſiarum Cathedralium impenſis, duabus junioribus filiabus, poſt mortem matris monaſterium ingreſſis, & tàm parentum quàm fratrum ſororúmque ſucceſſioni ſimpliciter & purè renuntiantibus, ſolutas monaſterio pecunias ſtatutarias (vulgò Statuten-Gelder) Cæciliæ verò filiæ ſeniori Rudolpho L. B. de N. nuptæ, quod ipſi in pactis dotalibus aſſignatum erat, titulo honorabili inſtitutionis loco legitimæ relinquit. Cúmque teſtamentum hoc poſt mortem teſtatoris ſubſecutam nulla prorſus querela fuerit impugnatum, de valore ejus eo minùs dubitandum eſt, quo magis

Quod nulla querela impugnatum.

providentiæ Celsissimi Domini Patrui & Reverendissimi Domini Præpositi fideicommissariæ constitutioni & hisce conformi pacto consentaneum fuit. Obstaculum injicere nequit transactio inter Dominum Claudium & Albertum Testatoris filios de hereditate ab intestato adeunda & communiter possidenda fruendáque concepta; ùtùt enim ad dies vitæ, & quatenùs tertio exinde nullum accrevit incommodum, fieri hoc potuerit, attamen in præjudicium lineæ Ferdinandeæ, & quatenùs ejusdem Juri quæsito derogaretur, transactio hæc viribus destituta fuit, nemini enim pacisscendo alterius conditionem deteriorem facere integrum est. Lineæ Ferdinandeæ ex dispositione fideicommissaria Reverendissimorum Patruorum & pacto familiæ ad integram hereditatem, in casum deficientium masculorum ex linea Carolina, jus quæsitum est, quod sine facto & consensu eorum ipsis diminui nequivit. Quapropter nec testamentum Alberti de Anno 1667. quod contra propriam suam transactionem anno

1664. invitis Ferdinandeis, initam ordinavit, & fratrem ſuum Dominum Claudium heredem ſcripſit, eíque in defectum lineæ maſculinæ cum excluſione lineæ Ferdinandeæ ſororium ſuum Dominum Rudolphum L.B. de N. ſubſtituit, quantùm ad bona ex hereditate Celſiſſimi Domini Electoris, Reverendiſſimi Domini Præpoſiti & Illuſtriſſimi Domini Caroli Patris ſui profecta ullius momenti eſſe potuit. Nam ipſe à Domino patre non ultra eſt inſtitutus heres, quàm in certo annuo reditu & ſumptibus pro obtinendis præbendiis ſecundum ſtatuta & conſuetudines Eccleſiarum Cathedralium expenſis. Quî ergo de bonis ad ſe nunquam delatis ulla ratione diſponere potuiſſet? & quamquam cum fratre ſuo Domino Claudio Anno 1664. tranſigendo convenerit de bonis paternis ab inteſtato communiter poſſidendis fruendísque, attamen per hoc ipſi facultas de iis pro arbitrio ſuo in ultima voluntate diſponendi haudquaquam acquiſita eſt. Obſtat enim, quod privata hæc & inſciis Ferdinandeis inita transactio ad

dies vitæ taintùm ipſi emolumento eſſe potuerit, obſtat, quod in præjudicium lineæ Ferdinandeæ nihil operari queat, obſtant fideicommiſſariæ diſpoſitiones, pactum familiæ & Teſtamentum Illuſtriſſimi Domini Patris, quæ omnia valida fuiſſe & obligationis virtutem in heredes in infinitum diffundere, ſatis hucusque probatum eſt, ut adeóque deſcendentibus ex familia Rudolphina in teſtamento Domini Alberti Avunculi nullum ſit præſidium. Quod cùm probè agnoſceret Illuſtriſſimus Dominus Claudius, tantùm abeſt, ut in conformitatem Teſtamenti Albertini voluntatis ſuæ arbitrium dirigeret, ſed potiùs veſtigiis Illuſtriſſimi Patris Domini Caroli inſiſtendo, in Teſtamento ſuo Anno 1693. confecto, deficiente prole maſcula, Dominum Georgium Comitem de N. lineæ Ferdinandeæ maſculinæ in omnibus immobilibus heredem fecit, illuſtriſſimæ verò conjugi ſuæ uſumfructum ad dies vitæ legavit, quæ ſupremi arbitrii ordinatio, quatenus fideicommiſſariæ diſpoſitioni & pacto familiæ prædeceſſorum con-

conformis eſt, nulli obnoxia eſt impugnationi.

Quæ cum ita ſint, valorem pacti controverſi ampliori deductione & ſuperfluis argumentis aſſerere ſuperſedeo, ſed ad enervanda Argumenta in contrarium præmiſſa feſtinatim me accingo, & quidem

## Reſolvuntur Rationes Dubitandi.

Imum ex Juris Romani principiis deductum quod attinet, jamdum in parte generali ſufficienter demonſtratum exiſtimo, pactorum ſucceſſoriorum in Germania deciſionem minimè ex præceptis Legum Romanarum, ſed ex antiquorum Germaniæ morum æquitate communi Doctorum ſuffragio & ſupremorum Imperii Dycaſteriorum præjudiciis comprabata, hauriendam eſſe, ibidémque periculum captandæ mortis alterius, quod pacta ſucceſſoria comitari ſuſpicabantur Romani, in Germania noſtra, præſertim in perſonis illuſtribus, in quas propter nobilitatis præeminentiam non

Rc. ad Imum deſumptum ex principiis Juris Romani.

cadit

cadit ſiniſtra hæc opinio, non æquè metuendum eſſe. Et inſuper Utilitatem, quam pacta hujusmodi ſucceſſoria tàm in ipſum Imperii Statum, quàm in familias illuſtres, ſubditósque uberrimè diffundunt, in ratione Decidendi Ima abundè ob oculos poſui, ùt meritò ſupervacaneum cenſeam, illis, quæ partim jam ad liquidum perducta, partim in Germania noſtra non amplius ſub lite ſunt, diutius immorari, ex quibus non minus Reſponſio

Ad 2dum ex Ratione Juris Romani.

Ad 2dum Argumentum in contrarium allatum facilè eluitur, quamquam enim Legum Romanarum providiſſimè conſtitutarum ſolidam rationem haud impugnatum eam, ſed lubens largiar, eis propter frequentiam periculorum, quæ ex certa ſuccedendi ſpe apud avariſſimam hanc gentem oriebantur, ex prudenti conſilio pacta ſucceſſoria generatim fuiſſe prohibita, exinde tamen haud inferendum putabis, inveteratam Germaniæ conſuetudinem pactorum ſucceſſoriorum uſum approbantem irrationabilem renuntiandam eſſe, diverſa

enim

enim eſt hujus ab illa gente indoles, ita, ut, quod propter avaram illius, aliena acquirendi cupiditatem, ſeveriſſimè prohiberi, ratio perſuaſit, apud hanc propter amicitiæ ſinceritatem & germanum animi candorem eadem ratio introduci comprobârit.

*Vid. quæ latius hanc in rem in parte generali deducta ſunt.*

Ad 3tium & 4tum ex imperfectione actûs adornata.

Tertium, & 4tum, quæ ex imperfectione actûs adornat pars contradicens, æquali facilitate diluuntur: ùtùt enim Illuſtriſſimi Domini compaciſcentes ob defectum virorum prudentum ſe perfectè & plenè hoc familiæ negotium componere pro eo tempore adhuc nondum potuiſſe, faſſi fuerint, & exinde plenariam ejusdem conſummationem in futurum diſtulerint, certum tamen eſt ex verbis conventionis controverſæ, quod de præſenti, licèt interimiſticô tantùm vinculo ſeſe ad ea, quæ in Inſtrumento acta conſcriptáque ſunt, obligare voluerint, verbis enim de præterito & de præſenti utuntur, & quidem talibus, quibus efficaciora & magis energica ad inducen-

dam ſolidam obligationem inveniri nequeunt. Unde quod ad pleniorem in futurum conficiendam tractationem provocaverint, non eſt intelligendum de eo, quod actu ſeſe adhuc obligare noluerint, ſed quod ſolenniùs adhuc & pleniùs, datâ Virorum prudentum, quorum conſilium in arduo hocce negotio adhiberent, copiâ, rem agere deſideraverint, quod autem deſiderii ſui finem non attigerint, conventioni de præſenti contractæ & omnibus requiſitis abſolutæ nil roboris detrahit, ſed eam potiùs confirmat, cum ei per pactum ſolennius ſubſequens fortè quædam derogatum, quædam verò adjectum iviſſent compaciſcentes. Interimiſtica ergo eſt hæc conventio, cujus ea eſt natura ac indoles, ut tamdiu efficaciâ ſuâ conſtet, quamdiu aliud & plenius inter partes conventum eſſe, non apparet; hoc etenim non ſubſecutô placitis eas acquieſcere voluiſſe, evidens indicium eſt. Rem pleniùs deductam & exemplo famoſiſſimæ transactionis Paſſavienſis inter Cæſarem & Imperii Status ſu-

per

per Religionis negotio interimisticè concluſæ demonſtratam dedi in Rat. decidendi, quò brevitatis causâ Candidum Lectorem remiſſum velim.

Quintum Argumentum pactionis noſtræ firmitati tàm parum obeſt, ut eam potiùs magis confirmet, ex eo enim quod Illuſtriſſimus Dominus Carolus in teſtamento ſuo Anno 1653. in defectum propriæ ſtirpis maſculinæ lineam Ferdinandeam maſculam adjunctâ conditione, ſi prædefuncti fratris filii ſæpiùs memoratæ conventioni ſe æquâ obſervatione ſtaturos eſſe, de novo ſponderent, ſubſtituerit, haud obſcurè eruere licèt, valorem conventionis à Domino Teſtatore probè eſſe agnitum, eúmque fidem conſenſu ſuo interpoſitam religiosè & proùt juſtitiæ & æquitatis ratio exigit, liberare, & ad æqualem fidei expletionem novo teſtamentariæ legis vinculo Ferdinandeos obſtringere voluiſſe, quod ùtùt ſuperfluum fuerit, negotio tamen nihil detrahit, manifeſtum enim eſt, ſuper-

Ad 5tum ex adjecta conditione in teſtamento Carolino depromptum.

ſua actum, niſi ei contraria ſint, non vitiare.

Ad ſextum ex eo, quod teſtamentum Caroli ruptum vel deſtitutum factum fuerit, deductum.

Ad ſextum Reſpondeo: quod ſi ultro concedatur, poſtremam diſpoſitionem Illuſtriſſimi Domini Caroli de Ann. 1654. in vim Teſtamenti valuiſſe, attamen cùm in ea prius teſtamentum expreſsè confirmetur, quo caſu ex utroque teſtamento ſuc-ceditur

*§. 1. inſt. quib. mod. Teſt. infirment. L. 12. §. 1. ff. eod.*

prius ruptum dici haud poterit.

Quodſi verò deſtitutum dixeris, nihil plane effeceris, apertiſſimi enim Juris eſt, quod ſi quis omiſsâ causâ teſtamenti hereditem vel bonorum poſſeſſionem ab inteſtato arripiat, Legata ac fideicommiſſa ex edicto Prætoris non minùs, ac ſi hereditatem ex teſtamento adiiſſet, præſtare debere.

*Tot. tit. ff. ſi quis omiſs. cauſ. Teſtam.*

Ad 7mum ex non ſubſecuta adimpletione

Ad ſeptimum quod attinet, præprimis ſolicitè perſpiciendum venit, an clauſula

ab

ab Illuſtriſſimo Teſtatore adjecta pro conditione conſiderari debeat? utpote in qua contemplatione non ſemper ad verba, ſed magis ad mentem diſponentis reſpiciendum eſt

conditionis in teſtamento Caroli expreſſæ.

*L. 19. pr. §. 1. ff. de Cond. & demonſtr.*
*L. 2. ff. de his quæ pœnæ cauſ.*
*L. f. C. de pign. obl. poſſ.*

Quod, ut eò clariùs cognoſcatur, notandum, in pacto de Anno 1644. inter paciſcentes definitum eſſe, ut heredes maſculi adeptâ vigeſimi ſecundi anni ætate, apud ſeniorem familiæ conveniant & agnito pacto familiæ, cum ipſo ulteriùs paciſcantur de non agendo contra conventionem prædicto Anno 1644. concluſam, & deſuper ſcriptas reverſales expediant, quod ſi tamen fortè negligatur, vel oblivioni tradatur, pacto nihilominùs ſeſe obligatos meminerint.

Cùm igitur Illuſtriſſimus Dominus Carolus in teſtamento ſuo de Anno 1653. ſubſtitutos ex linea Ferdinandea in clauſula §. 26. Teſtamenti ſui adjecta obligaverit,

ut de novo ſeſe pacto datis reverſalibus ſtaturos eſſe, promitterent, nihil novi ipſis per modum conditionis injungere voluiſſe, cenſendus eſt, ſed tantùm ex ſuperfluo repetiit id, ad quod jam conventionis lege obſtricti erant. Quando enim illa exprimuntur per modum conditionis, quæ jam tacitè ſubintelliguntur, propriè dicta conditio exinde non conſtituitur, ſed diſpoſitio manet adhuc pura

*L. 19. §. 1. L. 21. L. 47. L. 99. ff. de Cond. & demonſt.*

Quodſi tamen conditionem exinde eruere velis, attamen illam meritò pro adimpleta habendam eſſe diffiteri haud poteris, conditio enim, ſi maſculi ex linea Ferdinandea pacto ſeſe ſtaturos eſſe reverſales dederint, pro mixta cenſeri debet, quæ partim dependet à fideicommiſſariorum voluntate, partim à voluntate tertii.

*L. un. §. 7. C. de Caduc. toll.*

Reverſus enim per modum pacti expeditur, & nihil aliud eſt quam conventio, ac eapropter duorum conſenſus requiritur,

quodſi

quodſi igitur per modum conditionis injunctum fideicommiſſarius expedire paratus ſit, uti hic contigit, dum, ut indicat atteſtatum notarii, in apertura Teſtamenti 5ta Maji An. 1670. Eccleſiæ Metropolitanæ N. ſcholaſticus L. B. de N. ex linea Ferdinandea pro ſe & fratrum ſuorum nomine pactum agnovit, & reverſales ſeſe erigere velle heredi per Notarium indicari fecit, heres autem illas acceptare detrectavit, conditio pro adimpleta cenſeri debet; ea enim eſt conditionis mixtæ pro parte à voluntate tertii dependentis natura, ut ſi eam gravatus, quantùm in ſe eſt, adimplere paratus facto tertii impediatur, quò minùs ei pareat, pro adimpleta habeatur.

*L. 8. §. pen. ff. de cond. Inſtit.*
*L. 24. L. 140. pr. L. 57. L. 84.*
*L. 101. §. fin. ff. de Condit. & demonſt.*
*L. 34. §. 1. ff. de ſtat. Lib.*

Et tandem, quid diutiùs Argumento, quod non obſtat, immoror? Teſtator valorem pacti expreſsè agnovit, séque non minùs ex eo, quàm ex fideicommiſſo & teſtamentaria

taria lege Celsissimi Patrui & Reverendissimi fratris obligatum scivit, vel scire debuit, ad bona in Ferdinandeos extinctâ suâ lineâ masculâ transmittenda, quî ergo nova conditione illos onerare potuit, cum certum sit, fiduciarium heredem conditionem fideicommissarii deteriorem reddere non posse.

Ad 8vum ex defectu confirmationis Cæsareæ.

Octavum Argumentum ex necessitate confirmationis Cæsareæ deductum æquè facili conatu prosternitur. Quamquam enim me non lateat, ex communi & vix non unanimi Doctorum sententia ad ejusmodi pactionum validitatem Imperatoris confirmationem requiri, id tamen imprimis tantùm intelligendum est de talibus pactis, quibus de feudis Imperii, & quidem de illis in aliam prorsus familiam transferendis disponitur; in his enim ratio Juris Feudalis consensum Domini Directi in feudo alienando exigentis obtinet, ut aliud omnino dicendum sit, si de allodiis, vel feudis, sed in aliam tantùm lineam Jus à primo acquirente habentem transferendis

sermo

ſermo habeatur. Et quidem quod Allodia attinet, res luce meridianâ clarior eſt, de his enim, ſi pactum concipiatur, valor ejus haudquaquam ex principiis Juris Feudalis ſed ex legibus civilibus æſtimandus eſt; nullibi autem vel textum Juris Civilis, vel conſuetudinem invenies in diſpoſitione ſuper Allodialibus confirmationem Cæſaream deſiderantem, cum, cur ea adhibenda ſit, ratio nulla ſuffragetur, cuilibet enim libera eſt facultas de rebus ſuis, prout libet, diſponendi, nullo Imperatoris vel Imperii præjudicio concurrente. Quod verò feuda in aliam ejusdem familiæ lineam transſcribenda concernit, res non minùs evidens eſt. Aliunde enim Juris Feudalis Conſtitutionibus conforme eſt, feuda unâ lineâ ſine progenie maſcula extinctâ, in alterius ejusdem familiæ lineam hereditario Jure derivari, ut adeóque de pacti Juris diſpoſitionem confirmantis valore minimè dubitandum ſit. Igitur quo fundamento ex defectu confirmationis Cæſareæ pacti

controverſi validitas impugnari queat, non concipio. Nam quantum ad Bona à Celſiſſimo Domino Electore Patruo & Reverendiſſimo Domino Præpoſito paſciſcentium fratre profecta, probabiliter illa allodialia fuere, ſed ponas feudalia fuiſſe, ſequela erit, illa ab illuſtriſſimis parentibus tanquam à primis acquirentibus parta in heredes maſculos à primis acquirentibus ſanguinem trahentes perpetuo ſucceſſionis feudalis jure, excluſis fœminis, transmittenda & de linea in lineam fuiſſe derivanda. Si enim fingas illa à Reverendiſſimis Teſtatoribus demum fuiſſe acquiſita, nec vigore ſimultaneæ inveſtituræ Dominis compaciſcentibus Jus ſuccedendi in illis quæſitum eſſe, inferendum erit, Reverendiſſimis Dominis Teſtatoribus de illis in Teſtamentis ſuis in præjudicium Domini Directi, utpotè ad quem poſt ipſorum mortem neceſſariò reverſura erant, diſponendi & in patrueles & reſpectivè fratres ſuos transferendi facultatem (quod haud aſſerueris) nequaquam competiiſſe. Quidcunque igitur dixeris (ſi tamen

men ultimum casum minimè supponendum & familiæ Rudolphinæ haudquaquam proficuum excipias) confirmationis Cæsareæ necessitas exulabit. Et quidem de feudis per pactum familiæ in sanguine junctos transmittendis, assentitur

Itterus *de feud. Imp. C. XVII. §. 10.*

Necessitatis Imperatorii consensûs aliàs tenacissimus assertor, in Hochbergensibus & Badensibus Marchionibus propriori necessitudine sibi jam ante conjunctis exemplum perhibens. Quibus omnibus adhuc accedit, quod Conventiones familiarum illustrium retro initas in Capitulationibus suis art. 6. & respective 1. generali confirmatione roboraverint Leopoldus, Josephus & Carolus VI. gloriossimæ memoriæ Imperatores

*Vid.* Leiser *Medit. ad Pand. L. II. tit. XIII. §. IV.*

Nonum argumentum, quod in defectu consensûs filiarum, de quibus ab hereditate pater-

Ad nonum ex defectu consensus fœminarum.

paterna & bonis avitis excludendis in pacto quæſt. actum eſt, fundamentum collocat, ex principiis modo recenſitis collabitur. Vel enim de feudis loquimur, & quidem de illis quæ à Reverendiſſimis Dominis Teſtatoribus profecta ſunt, & patet quod tàm ex fideicommiſſaria Lege, quàm ex propria feudorum indole ad fœminas devolvi nequiverint. Eadem ratio obtinet in illis quæ paciſcentibus ex ſucceſſione paterna obvenerunt. Vel de Allodiis nobis ſermo eſt, & tunc ex eadem fideicommiſſaria diſpoſitione absque omni diſcrimine & undecunque provenerint, fœminæ non habent, quod quidquam contra pactum quæſtionis obmoveant; Teſtatorem enim non ſolùm ſua bona, quæ heredi reliquit, ſed etiam ipſius heredis propria fideicommiſſo obnoxia reddere poſſe, in rationibus decidendi demonſtravi. Nec habent, quod luctuoſam moveant querelam deſcendentes ex familia Rudolphina, matrem vel aviam ſuam, filiam Domini Caroli per pa-

ctum

ctum illud familiæ in legitima ſua eſſe læſum; ultro enim largiar, legitimam fœminis per conventionem non poſſe diminui, verùm absque magno familiæ Rudolphinæ emolumento. Legitima enim Cæciliæ Domino Rudolpho L. B. de N. nuptæ fuiſſet quinta pars ſemiſſis, habîtâ tantùm ratione bonorum allodialium, & quidem illorum quæ Pater Illuſtriſſimus Dominus Carolus aliunde quàm à Celſiſſimo Domino Patruo Electore & Reverendiſſimo Domino fratre Præpoſito acquiſivit. In feudis enim à quocunque profectis fœminæ non ſuccedunt, allodia verò à Reverendiſſimis Teſtatoribus derivata erant fideicommiſſo obnoxia. Quapropter ſi ponas Illuſtriſſimi Domini parentis Caroli ſubſtantiam allodialem ad ducenta Imperialium millia adſcendiſſe, invenies, uni ex quinque liberis (tot enim erant Illuſtriſſimo Domino Carolo nati) non ultra viginti Imperialium millia deberi, tantam autem ſummam (ſi forte non amplius) ex ſæpe

laudatæ conventionis nunc controverſæ diſpoſitione in dotem acceptam ipſi Pater in teſtamento ſuo titulo honorabili inſtitutionis reliquit. Quodſi verò meriſſima allodia, & quidem illa tantùm, quæ aliunde quàm ex hereditate Celſiſſimi Patrui & reſpectivè Reverendiſſimi Fratris promanarunt, ultra ſummam prædictam effeciſſe fingas, & inſuper filiabus legitimam per pactum familiæ ſucceſſorium diminui non poſſe ſtatuas, hoc tantùm evinces, ut, Cæciliæ & per conſequens deſcendentibus Rudolphinis ex perſona matris vel aviæ actio ad ſupplementum Legitimæ concedenda veniat, apertiſſimi enim Juris eſt, Liberos in minima parte heredes inſtitutos neque querela inofficioſi neque querela nullitatis uti poſſe, ſed ad actionem, quam Doctores ſuppletoriam vocant ipſis convolandum eſſe.

*L. 30. C. de in off. Teſt.*

Ad Decimum ex defectu juramenti.

Decimo & ultimo Argumento exinde ſatisfit, quod nullibi ad pacti cujuscunque eſſentiam requiratur Juramentum ſed ſolo deli-

deliberato contrahentium consensu eorum firmitas nitatur, & si pacta successoria familiarum illustrium passim Juramento roborari cernamus, merissimi arbitrii res est, alios, ut idem faciant, non obligans, quod autem aliqui Doctores vinculo Religionis ejusmodi conventiones colligari velint, de pactis renunciativis intelligendum est, utpote ad quorum validitatem Jusjurandum desiderat Pontifex

*In Cap. 2. de Pact. in 6.*

Et hoc quidem ex principiis Juris Romani, cum enim hoc Jure etiam pacta renuntiativa efficacia destituerentur, vinculum tamen Religionis ex Juramento illis adjecto produci voluit Jus Canonicum ex generali illo principio, quod Juramento, quod non vergit in dispendium animæ Jurantis neque in præjudicium tertii, omnino standum sit, ut & hoc casu, si hodie quæstio oriretur, cùm consuetudo Germaniæ pacta renunciativa sustineat, meritò de necessitate Juramenti dubitarem.

Hæc

Hæc ſunt Candide Lector, quæ de valore pactorum ſucceſſoriorum in genere & pacti controverſi in ſpecie Eruditorum diſquiſitioni ſubjicere conſtitui. Benevolum à te primus hic ingenii mei partus prælo datus exſpectat Judicium. Si quædam ad palatum tuum non ſint, feſtinationi adſcribe, quam officii, quod vocat, ratio expoſtulavit, vale & fave.

FINIS.

CO-

# COROLLARIA
## EX
# JURE UNIVERSO.
## EX JURE NATURALI & GENTIUM.

I.

*Quemadmodum nulla ſine obligatione Lex eſt, ita præcipuè Jus Naturæ vi ſuâ obligatoriâ pollere, eámque partim ex interna bonitate, vel malitia actionis, quam præcipit, prohibétve, partim ex voluntate ſupremi Legislatoris, cujus Imperium veneramur & reveremur erui, manifeſtum exiſtimo.*

II.

*Quapropter Atheus, qui vel nullam de Deo cognitionem habet, vel ejus infinitas perfectiones perfrictâ fronte negat, Juris Naturæ, quod eſt Lex æterna Dei per dictamen rectæ rationis promulgata, haudquaquam cognoſcit quidem, id tamen in pluribus obſervat, eóque non minùs ac alii homines obligatur.*

III.

*Jus Gentium (per quod tamen illud pactitium, & communi omnium, vel ſaltem moratiorum Gentium conſenſu receptum, intellectum nolim) à Jure Naturæ nec*



*prin-*

*principio cognoſcendi, nec ipſis regulis, ſed ſolo objecto differre, & aliud non eſſe, quàm ipſum Jus Naturæ integrarum Gentium negotiis applicatum, ſtatuo.*

IV.

*Unde tàm hujus, quàm illius principium in eſſendo eſſe voluntatem divinam, in cognoſcendo autem verum, evidens & adæquatum, ex quo omnia officia erga Deum, ſe ipſum & proximum dilucidè deduci queant, principium eſſe amorem, ſeu delectationem, quam homo ex perfectione & felicitate objecti amabilis percipit, cum* HEINECCIO *admitto.*

V.

*Cúmque ex eodem amoris fonte omnia profluant officia, hâc tamen providè obſervatâ diſcretione, ut quò ens excellentioribus pollet perfectionibus, & quo arctiori vinculo propter præſtita beneficia ſibi nos devincit, eo intenſiùs in ipſius felicitate delectari debeamus, omnino conſequi, apertum eſt, quod Deum T. O. M. amore devotionis & obedientiæ, proximum verò, tanquam nobis æqualem, amore amicitiæ & benevolentiæ proſequi teneamur.*

VI.

*Nec minùs inde conſequi reor, quod omnis læſio proximi in theſi quidem ſit prohibita, liceat tamen injuſta in nos vel bona noſtra molientem vi adhibita repellere, imò & occidere, modò ſervetur moderamen inculpatæ Tutelæ.*

VII.

*Quod etiam in duello obſervari poſſe exiſtimo; quapropter, licèt in Statu Civili & Imperii, ubi Copia Judicis datur, duellum Jure Naturæ ſit prohibitum, attamen*

*tamen (si, quod sentio, dicere licèt) contra officium facere mihi non videtur ille, qui in extremis famam, & necessaria vitæ sustentandæ media amittendi circumstantiis vel ipse provocat, vel provocantem sequitur.*

VIII.

*Aliud de mendacio ferendum est judicium, quod, si verè, propriè & strictè tale sit, ita intrinsecè malum censendum est, ut in nullis circumstantiis cohonestari queat.*

IX.

*Distinctio inter pacta nuda & vestita, quantum ad obligationis efficaciam, ignoratur in Jure Naturæ, quapropter & illis conventionibus, quas LL. Romanarum interpretes nuda pacta appellant, præscindendo à Jure Romano, vim esse efficaciter obligandi, contra* CONNANUM *cum* HUGONE GROTIO *haud dubito.*

X.

*Axioma:* Frangenti fidem, fides frangatur eidem: *non respuit quidem, sed potiùs sequitur Jus Naturæ, verùm in eodem tantùm negotio. Unde Imperanti cum Rebellibus subditis paciscenti contra eosdem sub certis potestatis suæ restrictionibus in obsequium redeuntes non patrocinatur exceptio fractæ fidei in priore pacto fundamentali datæ;*

XI.

*Multò minùs autem pactorum validitati obstat fidei, & cultûs divini, quem paciscentes profitentur, diversitas, ut adeóque non solùm pacta cum infidelibus, imò & cum hæreticis, sed & fœdera juris sui tuendi vindicandíque gratiâ cum iis sub certis tamen limitationibus ini-*

*ta firmiter ſubſiſtant, exceptione vis & metûs inter liberas gentes nullatenus obtinente.*

XII.

*Repreſſalias non eſſe propriè ſic dictam Belli ſpeciem, ſed potiùs periculoſum & tale Belli declinandi medium, quod ad bellandum invitat; Juſtæ tamen ſunt & licitæ inter liberas Gentes, dummodo talionis obſervetur ratio.*

XIII.

*Omnis, quæ Imperantibus attribuitur poteſtas, à Deo eſt, originariè reſidens in multitudine populi, cui liberum & integrum eſt, eam ſibi retinere vel in plures vel in unum ſub certis conditionibus & reſtrictionibus pacto ſive expreſſo ſive tacito transferre, cui ineſſe exiſtimo clauſulam commiſſoriam, ejus efficaciæ, ùt Rectore conditionibus non obtemperante, Regimen ipſo Jure commiſſum ad primævum ſuum ſtatum reducatur & ad populum redeat; quapropter hoc in caſu de Imperante depoſitio impropriè prædicatur, ipſo ſe majeſtate per factum ſuum ipſo jure exuente.*

## EX JURE CANONICO.

I.

*Verum ac proprium eſſe in Eccleſia Regimen, in eſſe ſuo, non verò in exercitio à poteſtate Civili omnino independens, Dogma Catholicum eſt.*

II.

*Eſtque illud Vicarium, Hierarchicum, haudquaquam deſpoticum & ad arbitrium Præſulum efformatum,*



*ſed*

*ſed paſtorale, mite & à ſubditis rationabile expoſtulans obſequium, à Chriſto Domino in Apoſtolos collatum, non merè Monarchicum, ſed Ariſtocratiâ temperatum.*

III.

*In quo Hierarchico Regimine ex inſtitutione Chriſti primatum obtinuit Divus Petrus, quem ad hodierna usque tempora canonicè continuârunt legitimi ejusdem ſucceſſores Epiſcopi Romani.*

IV.

*Apoſtoli verò eorundémque ſucceſſores Epiſcopi in partem Regiminis à Chriſto vocati non ſolùm Diœceſibus ſuis verè cum poteſtate præſunt, ſed & de univerſali Eccleſiæ Regimine cum Primate Epiſcopo Romano, habitâ tamen ad eundem canonicâ ſubordinatione, participant.*

V.

*Eorundémque poteſtas ſacra ex inſtitutione divina proficiſcens, ſpiritualis & in fidelium animas directa ſecundùm eam partem, quam legislatoriam vocamus, non ſolùm in actiones externas, ſed & merè internas directè exercetur.*

VI.

*Quemadmodum & in advenas per diœceſim tantummodò tranſeuntes.*

VII.

*Utùt autem Epiſcoporum poteſtas ſive Regiminis ſive ordinis ſit immediatè ex inſtituto Divino, attamen nec ipſos Epiſcopos, nec alios Clericos quoad bona & cauſas*

*ſas merè temporales & politicas Jure Divino à Juris-dictione Civili haud exemptos eſſe, rectè concluditur.*

VIII.

*Principum ſæculare Imperium & ſacrum Summi Pontificis & Epiſcoporum Regimen à ſe invicem prorſus independentia ſunt, ita ut nec ſummo Pontifici in temporalia Regum.*

IX.

*Nec Principi politico in ſacra ulla competat poteſtas.*

X.

*Jurisdictionis ſuæ per totam Diœceſim Epiſcopus habet fundatam intentionem, quapropter Monaſterium non relevat quaſi poſſeſſio exemptionis, quæ eſt ſtrictiſſimæ interpretationis, ſed conceſſionem ejus concludenter probare debet.*

XI.

*Poteſt quidem Exemptio à Jurisdictione Epiſcopi, non verò ipſa poteſtas Epiſcopalis & paſtoralis circa Regimen animarum proprio jure exercenda privilegio aut præſcriptione immemoriali ab inferiore Prælato acquiri.*

XII.

*Interpretatio Summi Pontificis circa concordata Germaniæ non eſt pro authentica reputanda.*

## EX JURE PUBLICO.

I.

*Pax Religioſa & Weſtphalica ſunt verè Leges Imperii noſtri Romano-Germanici fundamentales, adeò firmo*

*firmo conſtantes robore, ut Catholici avitam Religionem reducendi, bona & Jura Eccleſiaſtica recuperandi occaſionem nacti, eisdem ſine perfidiæ nota contravenire nequeant.*

II.

*Cujus valori obicem quidem non ponit proteſtatio ſummi Pontificis, ſuum tamen Jus ipſi illibatum & integrum conſervat.*

III.

*Origo capitulationum propriè talium refertur ad tempora Electionis Caroli V. eásque jure quidem proprio, aſt nomine totius Imperii conficiunt ſoli Electores.*

IV.

*Quibus tamen, quatenùs Jura Principum & ſtatuum ingrediuntur, & circa negotia vel publica vel privata Imperii novi quidquam conſtituunt, vim legis univerſalis eſſe, probari exopto.*

V.

*Quamvis forma Imperii Romano-Germanici non ſit merè Monarchica, ſed Ariſtocratiâ temperata, & Status Imperii in territoria ſua & ſubditos exerceant poteſtatem Majeſtati æmulam, exinde tamen ſyſtema civitatum inæquali nexu unitarum haudquaquam evinci poteſt.*

VI.

*Juris Reformandi, ſive generatiùs ſive ſpecialiùs ſpectati, quatenus hodie in Imperio obtinet cauſa & titulus eſt communis per totum Imperium hactenus uſitata praxis, conditio verò ſine qua non, ſuperioritas territorialis.*

VII. *Cu-*

## VII.

*Occasione cujus Statibus Imperii arbitraria & omnino libera competit Religionem reformandi facultas, nullam aliam, quam quæ in Pace Religiosa & Westphalica expressa sit, admittens restrictionem, unde est, quod Jus Reformandi pro Regula, factum vero possessionis in anno normali pro exceptione rectè statuatur.*

## VIII.

*In territorio communi & indivisim possesso unus condominus, alterô etiam invitô, Jus Reformandi licitè exercet, suámque Religionem introducit, quod idem de Civitatibus Imperii mixtis asserendum, ut pars Magistratûs & Civium v. g. Catholicorum qui in anno normali publicum Religionis suæ exercitium habuerunt, & vice versâ, Jus Reformandi, quantum conservationem, augmentum & majorem splendorem cultûs concernit, exercere queat.*

## IX.

*Dominum Territorialem debitorem territorium antichretica Lege oppignoratum reluentem non arctat præcisè factum possessionis subditorum in anno Decretorio, sed liberum ipsi est, cum subditis super futuro Religionis exercitio transigere.*

## X.

*Principe vel Statu Protestanticô ad avitam Religionem reversô Jurisdictio Ecclesiastica Episcopi tam in ipsum quàm in subditos Catholicos reviviscit, in subditos*

*tos verò Proteſtantes ipſe Princeps vel ſtatus reverſus Jus Reformandi illibatum conſervat, cui inſuper integrum eſt, ſimultaneum innoxium ſuæ Religionis exercitium introducere.*

XI.

*Conſtitutio Pacis Weſtph. ſtatuum Jus circa ſacra intra limites cujusque Territorii coarctans non extenditur ad Epiſcopos intuitu ſtatuum Catholicorum eorúmque ſubditorum ejusdem Religionis.*

XII.

*Jus eundi in partes in ſolis cauſis Religionem vel directò vel indirectò attingentibus locum habere, edoceri cupio.*

# EX JURE CIVILI.

I.

*Legitimatus per ſubſequens matrimonium non ſolum in feudis ſuccedit, ſed etiam ex inter medio matrimonio natis Jus primogenituræ præripit.*

II.

*Quarta piana eſt omnium bonorum.*

III.

*Teſtamento per querelam inofficioſi à fratre conſanguineo inſtitutam reſciſſo, lucrum cedit fratris Germani prædefuncti filiis.*

IV.

*Mala fides ſuperveniens publicianam actionem neque de Jure Canonico ceſſare facit.*

V.

*Cautio eſt de ſubſtantia quaſi uſusfructûs.*

VI.

*Servituti ruſticæ præſcribitur cum mala fide, ſecus debito indefinite contracto.*

VII.

*Debitore intra 30. annos non reluente pignus, extinguitur actio pignoratitia, non verò rei vindicatio.*

VIII.

*Mutatâ monetâ indiſtinctè reſpiciendum eſt ad tempus contractûs, id eſt reſtitutio facienda in eodem pondere & pretioſitate.*

IX.

*Minorè contra aditionem hereditatis in integrum reſtituto non eſt locus ſubſtituto.*

X.

*In ſingulis heredibus ponenda ratio L. falcidiæ, ita, ut portionē oneratâ accreſcente portioni liberæ, locus ſit detractioni, non verò ſi portio libera accreſcat oneratæ.*

XI.

*Heredem præſentem ſine ſolennitatibus fideicommiſſum præſtare rogatum ab obligatione præſtandi liberum judico.*

XII.

*Quæ parentes acceperunt, Nepotes indiſtinctè conferunt.*

EX

# EX JURE FEUDALI & CRIMINALI.

## I.

*Pacta confraternitatis Familiarum Illustrium super feudis Imperii etiam post Capitulationes, exspectativas in feudis prohibentes, confirmat Imperator sine consensu Electorum.*

## II.

*Pœnam caducitatis non declinat Vasallus feudum irrequisito domino alienans, licet illud in continenti recuperet.*

## III.

*Primogenitus non valet renuntiare Juri primogenituræ in favorem tertiò-geniti prætermissô secundò-genitô.*

## IV.

*Feudum Ecclesiæ concessum non amittitur ob feloniam Prælati.*

## V.

*Clerici in Imperio in causis feudalibus recognoscunt Jurisdictionem sæcularem.*

## VI.

*Hæres feudalis repudiato Allodio in feudo succedere potest, excepto filio.*

## VII.

*Banni pœnam sustinent quoad privationem feudi, non verò quoad pœnam vel capitalem vel corporis afflictivam.*

## VIII.

VIII.

*Judici publicè de crimine convictum ad suppremum supplicium condemnare licet, quamvis eum privata scientia innocentem esse, non ignoret.*

IX.

*Feripetam capitali pœnâ afficere, justissimum reor.*

X.

*In pœnis infligendis justitia commutativa strictè est observanda.*

XI.

*Mandans vulnus infligi, secutâ morte, pœnâ capitali afficiendus est.*

XII.

*Ex confessione delicti sub spe promissæ impunitatis elicita reus condemnari nequit.*

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Banniza von Bazan, Johann Peter

Diss. inaug. de pactorum successoriorum praecipue familiarum illustrium constanti in Germania valore, in speciali casu iudiciali decreto adhucdum definiendo, illustrato

Wirceburgum 1748

4 Diss. 681#Beibd.10
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10661953-8
VD18 14818507-001